Laudate pueri, 53.
lamus coram ange
opem tribuunt, 2
changelie hec oia

Quo poli tan
Semper
Presfert
Patria de

mortui dep

QVOD METAPHYSICA SINT EADEM, QVAE PHYSICA,

NOVA THEODORI ANGELVTII SENTENTIA.

Qua multa obiter obſcuriora Ariſtotelis, & magis recondita dogmata; mira ſubtilitate, & facilitate explicantur.

Cum Indice rerum, & verborum copioſo.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS,

Apud Franciſcum Zilettum. 1584.

FORTISSIMO, ET CVMPRIMIS ILLVSTRI VIRO FRANCISCO BETHIGNOLAE BRIXIO

Theodorus Angelutius. S. D.

QVANTI facienda sit Aristotelis doctrina (vir optime, & praestantißime) qua artibus, & scientijs prope omnibus vera & germana facies, aut primum tributa, aut restituta fuit; omnes omnium temporum & gentium homines perfectè norunt. Nam vt de Philippo Macedonum Rege ta-

ceam, qui non tàm gaudere se dicebat, quòd Alexandrum genuiſſet; quàm quòd illum eo tempore naſci contigiſſet, quo Ariſtotele magiſtro uti poſſet. Quem Philoſophum tot annorum ſpacio decurſa ſæcula (quibus conſtat innumeros extitiſſe perſpicaciſſimo ingenio præditos) aut doctiorem Ariſtotele, aut acutiorem, aut in rebus vel inueniendis, vel iudicandis acriorem habuere? Quæ doctrina ſubtilius examinata, & multorum incredibili acumine oppugnata, minus conuelli, & deijci de dignitate potuit? Vnum Ariſtotelem tota ſemper præ reliquis admirata eſt antiquitas, eiuſquè ſcientiam ſolidæ ſapientiæ ſtudioſi quò altius ſunt philoſophati, eò ardentioribus ſtudijs & firmioribus coluerunt: ut nulla nunc regio ſit tam barbara, & à veritatis contemplatione adeò aliena, in qua plurimi, & fortaſſe omnes alicuius eruditionis viri ab Ariſtotele non pertinaciſſime ſteterint; ac tanquam pro aris, & focis pro Ariſtotele maxime contentioſa diſputatione decertarint. Hinc Græcos,

Hebræos,

Hebræos, Latinos, Arabes, & omnium linguarum Philosophos videas, vt aliquod scientiæ nomen apud suos consequerentur, Peripateticos esse, & dici uoluisse. Quorum ego procul vestigia sequutus, (etsi cum ijs neque ingenij acie, neque iudicij firmitate ullo modo sim comparandus) ita à puero Aristotelis doctrinam sum auidè amplexatus, vt magnæ mihi semper fœlicitatis loco duxerim, omnes quos legissem libros ad vnius Aristotelis commodiorem, & dilucidiorem intelligentiam referre. Atque vtinam votis meis res ipsa respondisset: quamquam puto vix fieri potuisse, vt menti ad hanc vnam rem intentæ, non aliqua saltem post multos, & quidem non leues susceptos labores veritatis scintillula refulserit. Qua cogitationis spe sublatus, audeo tandem (tametsi vt nouus miles non parum amplißimi orbis terrarum amphitheatri iudicium subuerear) commentationes meas Peripateticas à Metaphysicis auspicatus in apertam examinis lucem proferre. Has verò mearum vigiliarum primitias

tu

tu mihi è plurimis vnus occurristi, cui potissimum dicarem; cum ob excelsæ virtutis tuæ merita, & in studiosos omnes singularem beneuolentiam; tum ob clarissimi generis splendorem, & rerum plurimarum excellentem cognitionem, eloquentiæ præsertim, qua ita præstas, vt non mouere, sed regere pro arbitrio, & rapere audientium animos videare. Mitto heroe plane dignam indolem, fortitudinemque & rerum humanarum peritiam; quibus præclaris virtutibus Europæ non paucis principibus viris intimè conciliatus eò, nominis tui gloriam & famam sustulisti, vt nulla deinceps temporis inuidia, & iactura obliuionis sit intermoritura. Tibi igitur iam parta immortalitate ad eandem mihi quoque fieri aditum volo: quo enim duce animosior futurus sim in perplexa admodum, & fallaci ad æternitatem uia, quàm te, cui, quoniam diu est me omnes res meas enixè, atque ex animo deuouisse; magnopere etiam sperem hoc (quodcumque est) muneris non insuaue prorsus, & iniucundum fore.

fore. Ego certè pro ea, quæ mihi constans est de te, & virtute tua opinio, si mearum hæc præludia lucubrationum tibi uoluptati cognouero fuisse, pro comperto habuero non inanem me Philosophiæ, & bonis literis operam dedisse. Vale Taurisij v. Kal. Nouembris. 1583.

[illegible]

[illegible]

deterreat. non [illegible] contra [illegible]

[illegible] 1553.

INDEX EORVM, QVAE HOC OPERE CONTINENTVR.

A

B

I

L

M

scientia

FINIS.

Errata sic corrigito.

Fol.primo,b.versu 6.iniuriam,lege incuriam.eodem fol.6.u 19.ὁ μετὰ lege ἡ μετὰ. fol.4.b.versu.12.inaniorem dicere, lege inaniorem rem dicere fol. 5.a.versu 3 proplectam,lege profectam. fol.5 b.u.12. Damascenus, Andronicus Rhodius,& Plutarchus,lege Damascenus & Plutarchus.fol.5 .b.versu 30. Bissario,lege Bessario.fol.6.a.versu 8. referant, lege referam. eodem fol.u.11. rifutatæ lege refutatæ.fol.6.b.u.11.fummi l.fumi.fol.7.a.u.30 indifferentiem, l.indifferentiam.fol.7.a.u.5.per anum & multa, l.per unum,& multa. fol.8.b. u.29.natura (namq; unum quoddam entis genus est, l.(natura namque unum quoddam entis genus est) fol.10.b.u.1.repetet.l.repetit.eodem fol.u.14. proplecto,l.profecto.eod.fol.u.21. annuens l.innuens. fol.12.a.u.26. primogenio, l.primigenio.fol.12.b.u.15. συσικὰ l.φυσικὰ.fol.13.b.u.5. distinguerint, lege distinguerent.fol.14.a.u.4.quæ futuram prima assertio disputationem. l.quæ futuram disputationem.fol.26.a.u.26. fallerijs, l.falleris.fol.17.a.u.15. ut cuius,lege ut cuiuis.fol.17. b.u.22. compositione, l. compositioni. fol.19.b.u.14. uniuocationes,lege uniuocationis.eod.fol.u.15. effecit.lege efficit. fol.20. a.u. 16.non est econuerso,l.non autem econuerso.fol.20.b.u.20. tractæ leg. tracta. fol.21.u.14.intricem,l.inuicem.fol.22.a.u.19.at compositi, l.& compositi. fol. 22.b.u.4.ut cuius,l.ut cuiuis fol.23.b.u.13. scientiam l. scientijs. fol.24.b. pariente,l.patiente.fol.25.b.u.21.statuis,lege statuens.fol.26.b.u.2.extrema,leg. externa.fol.33 a.u.17 exiquæ,l.exiguæ.fol.33.b.u.1.cum negari, l.eum negari.eod.fol.u.2.si motis,lege si motus eod fol.u.10.circulo,lege circulum.fol.34. a.u.27.haberi posse,l.habere potest.fol.35.a.u.4.aut fortuna re.lege aut fortuna &c.fol.35.b.u.12.perceperit,l.perciperet fol.36.a.u.12. causæ in, l.causæ ui. fol.38.b.u.13.& semilia,l.& semina.fol.42.b.u 20.possunt. l.ponunt.fol.44.a.u. 6.expectari.l.expectaturi.eod.fol.u.14 coger, l.cogor. fol.45.a.u 30. quàm ab Aristotelem; l.quàm Aristotelem.fol.52.a.u.2.seriam,l.seriem. fol.54. a.u.5. & mutationibus,l.& mutationis.eo.fol.u.9.edissent,lege edisserit. fol.55.a.u.1. atqui hæc,l. atque hæc;fol.56.b.u.24. præscribi,l.præsciri.fol.60.a.u.5. ut nuueres,l.ut innueret.fol.60.b.u.30.vt fortuitum,l.& fortuitum. fol.61.b.u.25. pro obiecto eccipere, l.pro obiecto acceperc.fol.62.a.u.17. afferre dicetur, l. afferre dicitur.fol.62.b.u.3 latrones.l.lationes,fol.64.b.u.13 sicuti,leg.sicubi. fol.65.u.15. secundum substantiam l.secundam substantiam.fol.67.a.u.26. in omnibus,l.enim omnibus.fol.69.b.u.17.aliorum scientiarum, l.asiarum scientiarum.fol.74.b.u.36.cuius notioni,l.cuiuis notioni.fol.79.b.u.30. mentes habent,l.montes habent.fol.87.b.præsertim sit,l.prætermisit.

NOVA THEODORI ANGELVTII

Sententia de instituto Aristotelis in Libris Metaphysicorum.

DE Libris Metaphysicorum Aristotelis non idem planè veteres omnes Peripatetici senserunt: Nicolaus Damascenus ordine eos interturbato, confusoque aut saltem obscuro congestos simul fuisse pronunciauit: vt ex Alexandro refert Auerroes in procemio decimi libri Metaphysicorum. Plutarchus Chæroneus in Alexandro non absimilem prorsus de ijs sententiam profert, cum tractationem metaphysicam ad doctrinam, inquit, ac disciplinam nihil studiosis conferre, omnique carere vtilitate. Franciscus verò Patritius libro tertio, & octauo, nouam ex proprio ingenio sententiam deprompsit, Aristotelem hos libros cum alijs multis à se non satis reuisos, nec castigatos, Theophrasto emendandos reliquisse: qui suæ potius quàm præceptoris gloriæ studens eos neque reuiderit, neque emiserit;

INDEX EORVM, QVAE HOC OPERE CONTINENTVR.

I

L

M

Nicolai

scientia

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Fol.primo,b.verſu 6.iniuriam,lege incuriam.eodem fol.6.u 19.ὁ μετα᾽ lege ἡ μετά. fol.4.b.verſu.12.inaniorem dicere , lege inaniorem rem dicere fol. 5.a.verſu 3 proplectam,lege profectam. fol.5 b.u.12. Damaſcenus , Andronicus Rhodius,& Plutarchus,lege Damaſcenus & Plutarchus.fol.5 .b.verſu 30. Biſſario,lege Beſſario.fol.6.a.verſu 8. referant , lege referam. eodem fol.u.11. rifutatæ lege refutatæ.fol.6.b.u.11.ſummi l.ſumi.fol.7.a.u.30 indifferentiem, l.indifferentiam.fol.7.a.u.5.per anum & multa, l.per unum,& multa. fol.8.b. u.29.natura (namq; unum quoddam entis genus eſt, l.(natura namque unum quoddam entis genus eſt) fol.10.b.u.1.repetet.l.repetit.eodem fol.u.14. proplecto,l.profecto.eod.fol.u.21. annuens l.innuens. fol.12.a.u.26. primogenio, l.primigenio.fol.12.b.u.15. συσικὰ l.φυσικὰ.fol.13.b.u.5. diſtinguerint ,lege diſtinguerent.fol.14.a.u.4.quæ futuram prima aſſertio diſputationem. l.quæ futuram diſputationem.fol.26.a.u.26. fallerijs, l.falleris.fol.17.a.u.15. ut cuius,lege ut cuiuis.fol.17. b.u.22. compoſitione, l. compoſitioni. fol.19.b.u.14. uniuocationes,lege uniuocationis.eod.fol.u.15. effecit.lege efficit. fol.20. a.u. 16.non eſt econuerſo,l.non autem econuerſo.fol.20.b.u.20. tractæ leg. tracta. fol.21.u.14.intricem,l.inuicem.fol.22.a.u.19.at compoſiti , l.& compoſiti. fol. 22.b.u.4.ut cuius,l.ut cuiuis fol.23.b.u.13. ſcientiam l. ſcientijs. fol.24.b. pariente,l.patiente.fol.25.b.u.21.ſtatuis,lege ſtatuens.fol.26.b.u.2.extrema,leg. externa.fol.33 a.u.17 exiquæ,l.exiguæ.fol.33.b.u.1.cum negari , l.eum negari.eod.fol.u.2.ſi motis,lege ſi motus eod.fol.u.10.circulo,lege circulum.fol.34. a.u.27.haberi poſſe,l.habere poteſt.fol.35.a.u.4.aut fortuna re.lege aut fortuna &c.fol.35.b.u.12.perceperit,l.perciperet fol.36.a.u.12. cauſæ in, l.cauſæ ui. fol.38.b.u.13.& ſemilia,l.& ſemina.fol.42.b.u 20.poſſunt. l.ponunt.fol.44.a.u. 6.expectari.l.expectaturi.eod.fol.u.14 coger , l.cogor. fol.45.a.u 30. quàm ab Ariſtotelem; l.quàm Ariſtotelem.fol.52.a.u.2.ſeriam,l.ſeriem. fol.54. a.u.5. & mutationibus,l.& mutationis.eo.fol.u.9.ediſſent,lege ediſſerit. fol.55.a.u.1. atqui hæc,l. atque hæc;fol.56.b.u.24. præſcribi,l.præſciri.fol.60.a.u.5. ut minueref,l.ut innueret.fol.60.b.u.30.vt fortuitum,l.& fortuitum. fol.61.b.u.25. pro obiecto eccipere , l.pro obiecto acceperc.fol.62.a.u.17. afferre dicetur , l. afferre dicitur.fol.62.b.u.3 latrones,l.lationes,fol.64.b.u.13 ſicuti,leg.ſicubi. fol.65.u.15. ſecundum ſubſtantiam l.ſecundam ſubſtantiam.fol.67.a.u.26. in omnibus,l.enim omnibus.fol.69.b.u.17.aliorum ſcientiarum, l.aſiarum ſcientiarum.fol.74.b.u.36.cuius notioni,l.cuiuis notioni.fol.79.b.u.30. mentes habent,l.montes habent.fol.87.b.præſertim ſit,l.prætermiſit.

NOVA THEODORI ANGELVTII

Sententia de instituto Aristotelis in Libris Metaphysicorum.

DE Libris Metaphysicorum Aristotelis non idem planè veteres omnes Peripatetici senserunt: Nicolaus Damascenus ordine eos interturbato, confusoque aut saltem obscuro congestos simul fuisse pronunciauit: vt ex Alexandro refert Auerroes in prooemio decimi libri Metaphysicorum. Plutarchus Chæroneus in Alexandro non absimilem prorsus de ijs sententiam profert, cum tractationem metaphysicam ad doctrinam, inquit, ac disciplinam nihil studiosis conferre, omnique carere vtilitate. Franciscus verò Patritius libro tertio, & octauo, nouam ex proprio ingenio sententiam deprompsit, Aristotelem hos libros cum alijs multis à se non satis reuisos, nec castigatos, Theophrasto emendandos reliquisse: qui suæ potius quàm præceptoris gloriæ studens eos neque reuiderit, neque emiserit;

ſed Neleo moriens reliquerit: vel ſi Ariſtoteles, inquit, eis vltimam manum admouit, eoſdem Apelliconis cum arrogantia, tum inſcitia corruptos fuiſſe; atq; idem putat libris 1.2.10.11.12.& 13. continuato ordine diſpoſitis contineri ſcientiam de intelligentijs à materiali concretione ſemotis, iiſq; per iniuriam interpoſitos fuiſſe reliquos libros, in quibus oratio habeatur, aut de logicis, aut de ijs, quæ ſpectant ad ſcientiam de ente; quas tres facultates toto (vt aiunt) cœlo cenſet inter ſe diſiungi, inuicemque non niſi per ſummam inſcitiam confundi: nihiloſecius, quàm ſi cum Iuris prudentia, ſeu Medicinę, ſeu Geometriæ diſputationes permiſcerentur: Idem libro 8. metaphyſicos, inquit, libros certum eſt ab Ariſtotele eo nomine nuſquam appellatos: videri tamen appellationem antiquiſsimam, quoniam Nicolaus Damaſcenus ipſam videtur agnouiſſe, cum ea Theophraſti libellum, qui circumfertur, appellauit; & poſt eum Plutarchus in Alexandro hos libros nominat his verbis ἐλιθῶς. γὰρ ὁ μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματεία, re uera enim tractatio metaphyſica; uideri itaque poſſe ab Andronico Rhodio, quo pręceptore eſt vſus Nicolaus, hanc appellationem manaſſe, eam certè Ariſtotelis nō eſſe, quòd primis duobus capitibus proponat ſe de ſapientia tractaturum, initio deinde tertij libri ſcientiam de ente nominat; ſequenti uerò capite ad Philoſophum inquiat pertinere eius tractationem; primo verò capite quinti libri eam appellet primam Philoſophiam, ac mox Theologiam; quæ nominum multitudo in cauſa fortè fuit (inquit Patritius) vt Andronicus (ſi tamen is fuit) quo certo nomine eos appellaret, dubius, aliud finxerit; ac μετὰ τὰ φυσικὰ inſcripſerit, nulla nec ab Ariſtotelis auctoritate, neque à re

ipſa.

ipsa sumpta ratione: Aristotelem autem vocare his libris comprehensam facultatem primam philosophiam, quòd de substantijs agat, quæ priores sunt physicis substantijs: cum disertis verbis dicat in primo cap. sexti libri, si vlla est immobilis substantia, ipsam priorem esse & Philosophiam primam; quę (inquit Patritius) duplici ratione, rei scilicet & Aristotelicæ auctoritatis Antephysica longè melius quàm Metaphysica, hoc est post Physica appellari debuisset, si ab Aristotelicis nominibus discedendum fuerat. Hæc ille. Alij, tametsi horum librorũ tractationem totam non improbarunt, eius tamen partem quandam externam, aduentitiam, & à proprio huius scientię subiecto genere magnopere alienam censuerunt; vt Bessario Cardinalis, qui duos postremos libros tertiumdecimum, & quartumdecimum, & alij quidam recentiores, qui secundum librum Physicis addiderunt, à Metaphysicisq; disiunxerunt. Ac quoniam inane est Aristotelis quærere in his libris institutum, si aut sui non sunt; aut si nè ratione inuicem sunt iuncti. Operępretium forę existimo, ante Nicolai Damasceni, Plutarchi, Francisci Patritij, & aliorum, quos nominaui, de horum librorum constitutione sententias examinare, quàm de ipsorum scopo, & fine differere incipiam; Atq; à Francisco Patritio exorsus, audacter pronuncio, libros Metaphysicorum & Aristotelis esse, & sic ab eo appellatos ordinatosq; fuisse: quod primum colligo ex verbis ipsiusmet Aristotelis in epistola ad Alexandrum Magnum à Plutarcho recitata: cum enim per literas de librorum Methaphysicorum editione cum Aristotele Alexander conquestus fuisset, quòd cuperet non armis modo, sed etiam recondita rerum cognitione alijs præstare; respō-

dit ei item per literas Ariſtoteles, illos libros partim editos eſſe, & partim non editos, quòd iis duntaxat intelligibiles forent, qui ipſum audiuerant. Methaphyſicorum igitur inſcriptio Ariſtotelis eſt non alterius; quòd ſi librorum ordo minus accuratus Nicolao, Plutarcho, & Franciſco videbatur, vel hæc ſola Ariſtotelis diſerta oratio de illorum ſumma obſcuritate ſatis debebat eſſe ad cohibendam ipſorum in iudicando audaciam; vt ſuam ipſi potius in intelligendo tarditatem accuſarent, quàm exactam Ariſtotelis in exponendis ſcientijs methodum reprehenderent; neque vero eſt, ut aliquis dicere poſſit, eos Metaphyſicorum libros viuo Ariſtotele editos, ad nos non perueniſſe: ſed pro illis alios, qui minime ſint Ariſtotelis: id enim & luce clarius apparet eſſe merum commentum; & præterea falſum eſſe conuincitur ex eo, quòd nullo alio ad ſuam ſententiam probandam argumento Patritius vtitur, quàm horum librorum maxima obſcuritate, quæ tamen ab ipſo Ariſtotele iamdiu prædicata eſt; Plutarchoq; & Nicolao multis retro actis ſeculis anſam dederat, non quidem negandi eos libros ſic ab Ariſtotele diſpoſitos appellatosque fuiſſe, ſed improbandi ordinem Ariſtoteleum, qui ſi in alium rei, quam ipſi minus probabāt, reijcere culpam potuiſſent, in illum inquam, qui nouam ijs inſcriptionem appoſuiſſet; quem & uero ſimile erat reliqua, quæ iiſdem libris aut minus recte, aut minus ordinatè collocata videbanť, per imperitiam immutaſſe; haud auſi fuiſſent Ariſtotelem ſummum philoſophū, & peripateticæ ſectæ Principem coarguere, cuius doctrinæ ſummis ipſi ſtudijs fauebant: neminem verò Simplicij, Themiſtijq; auctoritas moueat, quòd idem ad Alexandrum Ariſtotelis reſponſum referentes

rentes pro metaphyſicis auſcultationes phyſicas nominent: quoniam æquius puto iudicare, de vtriſque palam editis Alexandrum conqueſtum fuiſſe, quàm aut Plutarchum, aut Themiſtium & Simplicium mentitos fuiſſe; agit autem more ſuo Patritius, pro legeque & ratione proprium arbitrium ſectatur, cum Alexandri querelam ad editionem libelli de Mundo refert; eundem igitur ſic rurſus adoriemur: Nicolaus Damaſcenus eadem appellatione ille, quæ eſt horum librorum Theophraſti, quoq; Metaphiſica nominauit: non igitur inſcriptio Metaphyſicorum temerè, & caſu inuenta, ſed Peripateticis philoſophis vulgatiſsima, & vſitatiſſima: quòd ſi Patritius, vt ſe tueatur, Theophraſti libros dicat cum Ariſtotelicis paſſos fuiſſe eundem caſum, nouamque appellationem a rudi aliquo, & gregario philoſopho accepiſſe; exprobrabo nimis audacem libertatem in omnibus ſemper diuinandi: neque enim varietas illa appellationum, quæ in Ariſtotelicis metaphyſicis certo titulo nominandis Patritio magnum ſcrupulum inijciebat in Theophraſti metaphyſicis locum vllum, & rationem habet, ut ob eam induci potuerit aliquis æque illis idem nouum nomen imponendi; minusque eſt probabile utriſque primas appellationes ademptas fuiſſe, ut nouas excogitari operæpretium pariter fuerit vtrobiq;. Alexandri verò Commentaria doctiſſima in hos libros, quo paſſim leguntur ordine diſpoſita, quem obſtinatiſſimæ mentis hominem non euincant eos & Ariſtotelis eſſe, & ſic ab ipſo iunctos inuicem, nominatosq; fuiſſe? Reſpondet Patritius illa commentaria haud eſſe Alexandri Aphrodiſienſis, ſed alterius cuiuſdam Aegei, quo Nero præceptore eſt uſus ante Aphrodiſienſem annis fermè 85. (vixit enim hic

temporibus

temporibus Antonini:) quemadmodum nec illa, quæ in libros de rebus metheorologicis eiusdem nomine circumferuntur: quod sic demonstrat. Auerroes omnia ea, quæ præfatur in librum vndecimum ex Alexandro, ait se sumpsisse, quorum tamen nihil in Alexandri vulgatis commentarijs habetur: & Syrianus Alexandri ætati propior commentarijs suis in octauum librum com. 43. & 62. quædam refert ex Alexandri commentarijs, quæ tamen in ipsis minimè inueniuntur: quòd si alibi (philosophatur Patritius) quædam ex Alexandro recitat Syrianus, quæ ijs commentarijs reperiantur, eadem & Aegeum & Aphrodiseum dicere potuisse eadem loca explicantes: Aegeum uero Alexandrum, illorum esse commentariorum auctorem ita ostendit. Quicunque ea commentaria composuit comm. 6. in li. 7. meminit cuiusdam Sosigenis præceptoris sui, quemadmodum & côm. in lib. metheorol. fuit autem Sosigenes insignis mathematicus, qui C. Cæsare id sibi iniungente solarē annum correxit; atq; ideò tulerunt tēpora vt Alexandri, Aegei præceptor esset, qui Neronis præceptor fuit, non tulerũt vt Neronem institueret, qui sub Antonino vixit: à Cęsare enim ad Neronem anni fuerunt 94. à Nerone ad Antoninum 85. ac præter hos duos Alexandros, alium non fuisse, qui Aristotelis libros interpretaretur eodem nomine nuncupatum: hæc Patritius, quorum utrumque est falsum; & argumenta, quibus probantur item falsa, & captiosa. prima illa ratiocinatione sumpta ex Auerrois auctoritate seipsum Patritius iugulat; nam, vt demus commentaria, quę extant, nō esse Alexandri Aphrodisei, quis negabit (si Auerrois dicto stare velit) illum alia cōmentaria in eosdem libros composuisse? in ijsque neq;

ordinem,

ordinem, neq; appellationem metaphysicorum improbauisse, cum id Auerroes minime reticuisset? leuissimũ tamen est Patritij argumentũ; sumitur enim à negatione, cum constet multa ijs commentarijs deesse, atq; adeò principium ipsum; an non magno est argumento, illa esse Alexandri Aprodisiensis, cum plurimis locis ea habeat diserta oratione, quæ ex ipsis à Syriano recitãtur? Amplius commen. 42. in septimum lib. de se ipso exemplum sumens illorum commentariorum author Alexandrum Aphrodiseum se nominat: id inquit cognomen Patritius appositum fuit à sciolo aliquo, qui ignorauit, alium Alexandrum præcessisse; sed non videt inanitate ipsa se inaniorem dicere; quoniam si cuiuis permittatur ueterum libris quiduis pro arbitrio addere, expungere, omnes omnium libri in dubium reuocabũtur; Atqui id in more habet Patritius, cæteraque ut omittam in octauo libro ex his ipsis Metaphysicorum libris plurima loca cõmuni Peripateticorum ab extremis usq; temporibus consensu recepta pro sua uoluntate adimit; quod faciendi potestatẽ nescio quis Deus illi tribuerit. Ad alterius capitis probationem idem assumit duo falsa; alterum est, non fuisse nisi unum Sosignem Peripateticum, illum qui etiã fuit insignis mathematicus; alterum, non extitisse nisi duos Alexandros, Sosignemque non nisi Alexandri Aegei præceptorem esse potuisse; nam illud primum merum redolet commentum: quid enim scire ipse potuit omnes Peripateticos Sosigenis nomine appellatos? in secundo seipsum prodit mendacem, immemor eius, quod alio loco scribit, Alexandrum quendam Damascenum, eumque Peripateticum extitisse, cuius sint illi commentarij in libros Topic. & Elenchorum, qui Alexandro

xandro Aphrodiseo passim attribuuntur: sed & fuisse alium Sosignem huius Alexandri præceptorem testis est Philoponus comm. suis in secundum librum priorum analithicorũ, his verbis Alexander Philosophi interpres in quodam uno libro vult præceptorem suum Sosigenẽ fuisse eiusdem opinionis: illud enim ἐξηγητῆς Alexandri Aphrodisei proprium epithetum fuit. respondet Patritius, Philoponum in Alexandri Aphrodisei præceptore assignando errauisse; cum tempora nequaquam id ferãt, quòd nullus alius Sosigenes memoretur, quàm is, qui annum correxit sub Iulio Cæsare: audax mehercule, & temerarium hominis ingenium postulantis sibi magis propter tenuissimas coniecturas credi, quàm antiquo Philosopho, cui aliorum philosophorum nomina; qui eum non multis annis præcesserunt, probabile non est, incognita fuisse: quamquam quid ego in hoc tantopere laboro? concedamus ea commentaria Alexandri Aegei, esse, non Aphrodisei; nonne validius inde, vtpote à maiore ductum antiquitate argumentum efficietur? atqui eandem sententiam tota Peripateticorum schola deinceps sequuta est, vt Syrianus Procli Licij preceptor, cuius extãt in aliquot Metaphysicorum libros commentaria; Themistius Syriani æqualis, quem citat Auerroes commen. in 8. lib. Philoponus, cuius breues extant in eosdem libros lucubrationes Cypro exportatæ, Auicenna, Auerroes, D. Thomas, Bessario Cardinalis, & cum his innumeri alij, qui idem pertinacissimè semper, & mordicus omnibus temporibus asseruerunt. siquis obijciat Aristotelem hos libros citare in fine primi Phys. & in 6. capite libri de animalium motu, & 6. Meth. ca. 2. & 4. sub nomine primæ philosophiæ, secundo vero Phys. cap. 2.

primo de ani.c.2.& 3.Polit.c.6.& in 11. Met.c.3.sub nomine absoluto philosophiæ; ac propterea Metaphysicorum inscriptionem ab Aristotele propleċtam minimè fuisse; is Aristotelis consuetudinem parum pespectam habet: cum constet eundem libros de Physico auditu, de cœlo, priores & posteriores analiticos, elenchos, de sensuq; & sensili diuersa ab ijs, quas habent, appellatione uarijs locis nominauisse: nam libri de Physico auditu citantur sub nomine Physicorum 8.Phys.cap.1.3.& 7. primo Metaphys.in fine, decimo Met.cap.8.& 9. Metaphys. c.1. citantur sub nomine de natura lib.8.Phys.c.3.5.& 9.primo Metaph. c.4. & 12. Metaphys. cap.9. sub nomine de motu citantur primo cœli.c.5.& 7.tertio cœli cap.1.& 4. & primo de generat.c.3.lib.de sensu c.6.8.Met.c.8. & 2. de dem.cap.12. sub nomine primorum sermonum citantur primo cœli c.3.& lib.4. c.3. citantur sub nomine de principijs, primo cœli c.6. cum tamen nusquam citentur sub nomine de Physica auscultatione, quo modo pertinacissimè defendit Simplicius inscriptos, appellatosque ab Aristotile fuisse: libri Politicorum citantur sub nomine de republica, lib.1.cap.1.libri de cœlo citantur sub nomine de elementis. lib. de sensu cap. 4. sub nomine autē de primo cœlo, & eius partibus in principio tertij de cœlo, & secundo de anima ca. 11. priores & posteriores libri analitici, inscripti sunt ab Aristotele analitici simpliciter, sine additione: ex ipsis tamen priores citantur sub noīe de syllogismo primo de dem.c.3.& c.8. posteriores sub nomine de demonstratione multis in locis, atque vtrique sub nomine analiticorum 6.Met.c.12.6. Ethic.c. 3. lib.2. magnorum moral. c.6. Eudemiorum lib. 1. & 2 lib.2.periherm.c.7.lib.8. Topic.c.4. & 5. & primo Rhet.

c. 2. libri Topicorum mille locis ab Aristotele sub hoc nomine citantur, qui tamen ab eodem citantur sub nomine Dialecticorum primo lib. analit. c. de medij abundantia lib. 2. ad Theodecten. c. 22. & 24. quo capite libros quoq; Elenchorum sub nomine Eristicorum citat. quoties uero consueuit Arist. libros suos generalissimis sub appellationibus citare exotericis, encyclijs, & Ecdedomenis? Quod Patritius obijciebat libris Metaphysicorum agi de tribus subiectis generibus, quę non possint sub unam, & eandem scientiam cadere, nullum momentum habet, vt mox à nobis declarabitur; Nicolaus Damascenus, Andronicus Rhodius, & Plutarchus Chæroneus haud mirum esse debet, si reconditam & abstrusam summi Philosophi doctrinam minoris, quàm par erat, æstimarunt: quoniam ijs sæculis vixerunt, quibus diuini hominis penetralia nondum planè euoluta, collustrataque fuerant; at quis ferat Marij nescio cuius Nizolij impudentem audaciam, & arrogantiam, qui grammaticis uocibus uix benè assuetus, cap. 6. libri tertij suæ cuiusdam (vt uocat) eximiæ philosophiæ, Metaphysicorum libros damnare, nulliusq; esse vtilitatis pronunciare est ausus, post innumeros præclaræ doctrinæ viros, qui Aristotelis omnia magnoperè semper commendarunt, in cœlumq; iustis & veris laudibus tulerunt, postquam nihil non examinassent, cribroq; (vt aiunt) ventilassent, quod in ijs minus constare, veritatemque non habere videretur? Omnes tamen una euicti fuerint à nobis cum commostratũ erit recta & accurata Methodo hos libros traditos fuisse, talesque ad nos peruenisse; quod quidẽ in postrema huius operis parte præstabitur à nobis. Bissario Cardinalis facilè refellitur ex text. 2. octaui libri, ubi de ideis inquit

quit Arist. & Mathematicis, posterius considerãdum est. duos postremos libros significans, in quibus ideæ, numerique Pytagoricorum debellatæ ab Aristotele, expugnatæque fuerunt; atque ex text. 2. & 3. tertij libri & ex textu 6. libri septimi, in quibus idem planè asseritur.

His uelut præfationis loco expositis, reliquum est, ut aliorum Peripateticorum de subiecto genere Metaphysicorum sententias referant, qui eorum seriem, iuncturamque non inficiantur; cum meaque conferam; missas vero faciam obscurorum aliquot philosophorũ opiniones, quæ satis superque ab alijs rifutatæ sunt; atque illustrioribus de horum librorum genere subiecto sententijs refutatis, ipsæ quoque eadem opera futurum sit ut expugnentur, quòd tametsi diuersæ existant, omnes tamen conueniant in eo, nouam his libris scientiam constitui, à philosophia naturali diuersam, de ijs, quæ omnibus modis seiuncta manent à materiali concretione, re inquam, & ratione; qua de re diuersa antiquorum placita discutiuntur à Iulio Sireno philosopho nostræ ætatis non contemnendo in libro de subiecto primæ philosophiæ; quod uero aliqui horum librorum subiectum genus ad logicam referant, indignum est ut à nobis recenseatur; sylua igitur diuersarum opiniouum prætermissa, quæ ad nostrum institutum minimè cõducunt; illa solùm commemorabo nostræ sententiæ repugnantia, quibus plerumque in scholis Peripateticorum fauent; atque ut semel rem ipsam exordiar; prima sententia est, Auempacis primam omnium rerum causam, ut prima est, esse horum librorum subiectam materiam. secũda: sententia est Alpharabij, Deum ipsum horum librorum subiectũ genus existimantis: tertia est quam pleriq; sequuti sunt,

ac maxime Auicenna in primo libro Met.c.5. Alber. c.2. D. Thomas in proœmio Metaphyſices, Scotus ac melior latinorũ ſchola ens uniuerſim & generatim ſumptum, quatenus Deo, & rebus alijs, ſubſtantiæq; , & accidẽtibus commune eſt horum librorum ſubiectam materiam cõſtituere; additque de ſuo D. Thomas ens bifariam conſiderari, uel quatenus eſt ens, uel quatenus rationem ſuã habet à materia, re, & ratione ſeparatam; primo modo ipſum efficere partem ſubiecti materialem, ſecundo verò formalem, atque ex hac, non ex illa internam Metaphyſicæ facultatis & eſſentialem differentiã ſummi; quæ quidem non eſt cur à nobis in præſentia diſcutiãtur, tametſi ſecus putamus rem ſe habere, ne alio properantem orationem vllo modo remoremur. Alexandro eandem quoque ſententiam tribuunt ex ijs, quæ eliciunt ex eius commentarijs in tertium lib. 7. in vndecimum, duodecimo, & in duodecimum paſſim; Auerroes videtur eſſe varius, modoq; ad ſecundam, modo ad tertiam opinionem inclinare; commentario ſuper tex. 83. primi libri Phyſicorum, hæc habet ad literam exſcripta; qui dicit, quòd prima philoſophia nititur probare entia ſeparabilia eſſe, peccat; genus enim entium ſeparatorũ eſſe non demonſtratur, niſi in ſcientia naturali; hæc enim entia ſunt ſubiectum primæ philoſophiæ; & impoſſibile eſt aliquam ſcientiam demonſtrare ſuum ſubiectum eſſe, ſed concedit ipſum eſſe, aut quia eſt manifeſtum per ſe, aut quia eſt demonſtratum in alia ſcientia, unde peccauit Auicenna, qui dicit primum philoſophum demonſtrare primum principiũ eſſe; quo ex loco Scotus & Antonius Andreas Auerrois ſententia deducere ſibi uidentur ſubſtantias ſeparatas, hoc eſt Deum, & intelligentias eſſe ſubiectum

librorum

librorum Metaphysicorum, cum tamen idem prologo in tertium librum Metaphys. disertis verbis pronunciet ens extra animam, quod est commune decem prædicamentis, diuiditurque per potentiam, & actum, & per anum, & multa esse Metaphysices subiectum: quos inuicem pugnantis locos sic nituntur conciliare recentiores quidam Auerroistæ, ut ens quatenus ens notione communissima, & analoga acceptum totius Metaphysices sit æquale subiectum, eius uerò facultatis cum duæ sint partes, altera quæ uersatur circa ens effectum, seu causatum, hoc est circa sensiles substantias 7. 8. 9. & 10. libris Metaphysicorum comprehensa; quæ est de substantijs abstractis; altera vndecimo, & duodecimo libris exposita, substantias separatas si ad commune subiectum referantur, eius esse partes & ueluti portiones quasdã; sin cum ente effecto comparentur, illius esse principia & causas; Metaphysicamque non esse scientiam aliquam, quæ simpliciter uocari possit una, uni alicui, & certo, ac determinatę naturæ subiecto generi intenta, demonstrãt ex Auerrois prologo in duodecimum librum Metaphysicorum, ubi scribitur Metaphysicorum facultatem uocari posse vnicam, ideo quòd tota scientia, quæ ipsius cancellis concluditur, ducat nos tandem in cognitioné primæ formę, & primi finis, quantum humanæ intelligentiæ cõcessum est. Sed hæc Auerroistis expẽdenda relinquamus; quod ad nostram disputationem attinet, eadem est Auerrois, & cæterorum quos commemoraui, sententia nouam his libris scientiam contineri, à Physica diuersam; cuius subiectum genus quidpiam sit, quod à materia separatum seiunctumq; existat, siue per indifferentié, cuiusmodi est ens generatim sumptũ, cuius ratio ęque integrè cernitur

in

in ſubſtantijs materialibus, atq; in ijs, quæ materia carēt, ſiue per abſolutam diſtinctionem, cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ ſuper cœleſtes, atque illi qui huius facultatis ſubiectū genus primo modo interpretantur æternas, incorporeasque mentes cōſtituunt ſub ente, alij uerò illas ſupra ens ipſum collocant, eaſdemque aſſerunt eſſe prima principia, & primas cauſas, à quibus tota entis ratio, proprietateſque emanent, cum tamen utrique egregiè allucinentur, ut poſtea oſtendetur, conueniunt autem in eo, ut Metaphyſicorum doctrina primo, & per ſe res tractet à materia abſtractas, & maximè communia attributa, à quibus cæteræ omnes facultates pendeant, ob idque ſapientiæ nomen mereatur, quòd ſcilicet ipſius munere omnium ſcientiarum demonſtrationes per analyſim deducantur uſque ad prima principia, quibus non ſunt alia priora: ſuam uerò ut ſententiā probent ſequentes locos ex Ariſtotele adducere poſſunt.

Primò illum iu primo Metaphyſ. cap. 1. quòd igitur ſapientia circa aliquas cauſas, & principia ſcientia ſit, patet: quæ uerba ſic deducuntur c. 2. oportet ſcientiam, quam quærimus primorum principiorum, & cauſarum ſpeculatiuam eſſe: ac paulò poſt ſcientia diuina dicitur bifariā, & quia Deus eam maximè habeat, & quia diuinorum ſit, hæc autem ſola utrumque conſequuta eſt; Deus etenim tum omnibus cauſa eſſe uidetur, tum quoddam principium; & talem ſcientiam aut ſolus, aut præcipuè Deus habet. & cap. 3. text. 18. uerùm hæ quidem illarum, quæ circa generationem, & corruptionem, & motum ſunt rationum, propriæ ſunt, ferè enim de tali ſubſtantia & principia, & cauſas inueſtigant ſolùm: quicunque uerò de cunctis quidem entibus ſpeculantur, entium autem

quædam

quædam sensibilia, quædam non sensibilia ponunt; manifestum est, quòd de vtrisque generibus perscrutantur, quare magis immoretur quispiã, de ijs quid benè, quidvè non benè dicant, ad eorum quæ nobis proposita sunt inquisitionem, quibus omnibus locis videtur Ar. indicare scientiam, Metaphysicorum libris comprehensam, & sapientiam primam nominandam esse, & agere de primis causis, de primis principijs, de Deoque & rebus diuinis, ac generali & communi quadam ratione de omnibus rebus; quod non minus clarè sentire videtur in tertio lib. cum inter suas illas tot numero propositas dubitationes ad hanc facultatem spectantes text. 15. nihilò inquit minor dubitatio, & posterioribus, & prioribus prætermissa est, utrum eadem corruptibilium, & incorruptibiliũ principia sint, an diuersa? si enim eadem sunt, quomodo hæc quidem incorruptibilia, hæc verò corruptibilia sunt, & propter quam causam? ac paulò pòst, omnibus autem & ad speculandum difficillimum & ad cognoscendam veritatem maximè necessarium est utrum ipsum ens, & ipsum unum substantiæ entium sint? quæ dubitationes (extra rem) & inanes prorsus videri possent, nisi his libris communis oratio haberetur de principijs, quæ cum separatis, tum cum materia coniunctis substantijs conueniunt; de enteq; & vno quatenus eorum ratio communissimis uocabulis significata per quascunque rerum essentias funditur; quod quidem luculẽtiori testimonio ex Aristotelis uerbis elicitur in lib. 1. text. primo, ubi est quædam (inquit) scientia, quæ speculatur ens prout ens est, & quæ ei per se insunt; hæc autem nulli earum, quæ in parte dicuntur eadem est; nullæ namque cæterarum vniuersaliter de ente, prout ens est, considerant, sed eius

partem

partem aliquam abscindentes, quod ei accidit, speculantur, ut Mathematicæ scientiæ, cum autem principia & supremas causas quæramus, patet quòd alicuius naturæ per se necesse est eas esse; si igitur illi etiam, qui entium elementa quærunt, ista principia quærebant, necesse est etiam elementa entis non secundùm accidens esse; sed prout entia sunt; quare nobis quoque entis, prout entis, primas causas accipiēdum est; & text. 2. in fine postquàm explicasset, quot modis dicatur ens; subdidit deinde, quare entis quoque quot species sunt, & species specierum specular i unius scientiæ genere est. textu autem quarto videtur indicari tractationem haberi in Metaphysicis de omnibus substantijs, cū scribitur, tot philosophiæ partes esse, quot substantias; nam per philosophiam, Metaphysicorum libris comprehensam scientiam intelligit, ut colligitur manifestè ex text. 5. & 7. eiusdē libri, secus ipse sibi contradiceret Aristoteles, si genus inquam scientiarum philosophiæ nomine significaret, quoniam tex. 29. primi libri scribit scientias non solùm substantiæ, sed etiam aliorum esse; textus septimus, eiusdem primi libri expressam continet Aristotelis sententiam à nostra alienā; sic enim habet, propter quod nemo eorum, qui particulariter considerant, conatur aliquid de eis, siue quatenus vera, siue quatenus non dicere: nec enim Geometra, nec Arithmeticus, sed naturalium quidam merito hoc facientes; soli namque putabant, & de tota natura & de ente considerare, cum autem aliquis adhuc superior naturali sit natura (namque unum quoddam entis genus est) illius uniuersalis, & circa primam substantiam speculatiui proplecto fuerit de his etiam consideratio; est autem Physica sapientia quædam, sed non prima: itemq; textus

primus

primus libri ſexti, qui eſt huiuſmodi, principia, & cauſa entium quæruntur, & patet quòd prout entia ſunt: eſt enim aliqua ſanitatis, bonæque valetudinis cauſa, Mathematicorum quoque principia, cauſæ, & elemẽta ſunt, & ſimiliter omnis intellectualis ſcientia, ſiue aliquo modo intellectu participans circa cauſas, & principia, aut certiora, aut ſimpliciora eſt: attamen hę omnes circa vnũ quid, & quoddã genus circumſcribentes, de eo tractant, ſed non de ente ſimpliciter, nec prout ens eſt, neq; ipſius quid eſt, ullam rationem faciunt: & paulò poſt, cum autem Phyſica etiam circa quoddam entis genus ſcientia ſit, itemque poſt pauca, Phyſica eſt ſpeculatiua circa tale ens, quod poſſibile moueri, textu ſecundo eiuſdem libri: idem ſenſus ſic exprimitur, quòd ſi quippiam eſt immobile, & perpetuum, & ſeparabile à materia, patet quòd ſpeculatiue eſt cognoſcere, & nõ Phyſice (de mobilibus namque quibuſdam Phyſica eſt;) nec Mathematice, ſed prioris ambabus; ac non multo infra ſic ſcribitur; prima verò philoſophia etiam circa ſeparabilia, & immobilia; neceſſe autem eſt omnes quidem cauſas perpetuas eſſe, maximè uero has; hæ etenim cauſæ manifeſtius diuinorum ſunt, quare tres utique erunt philoſophiæ ſpeculatiuæ, Mathematica, Phyſica, Theologia; manifeſtum eſt enim, quòd ſicubi diuinum exiſtit, in tali natura exiſtit, & honorabiliſſimam oportet circa honorabiliſſimum genus eſſe; ſpeculatiuæ itaque alijs ſcientijs præponendę ſunt; hæc uerò ſpeculatiuis. Dubitauerit enim aliquis vtrum prima Philoſophia vniuerſalis ſit, an circa aliquod genus, & unam naturam: non enim idem modus eſt, atq; in Mathematicis; ſed Geometria quidem, & Aſtrologia circa quandam naturam ſunt, illa vero vniuerſaliter omnibus

nibus communis eſt; ſi igitur non eſt aliqua alia ſubſtantia, præter eas, quæ natura conſiſtunt, Phyſica profectò prima ſcientia eſt, quòd ſi eſt aliqua ſubſtantia immobilis, hæc prior; & Philoſophia prima, & uniuerſalis; ſicq; prima, & de ente prout ens eſt; ac quid eſt, & quæ ei inſunt prout ens eſt ſpeculari huius eſt. ex text. ſecundo, ſeptimi libri idem videtur poſſe colligi, cū Deus ab Ariſtotele in ſubſtantiæ cathegoria una cum homine collocatur; & ex text. quinto, vbi ſcribitur ſubſtantiam exiſtere manifeſtiſſime quidem in corporibus; quaſi innuat in ijs quoque ſubſtantiæ rationem inueniri, de qua agit; quæ corporis expertia ſunt; quò etiam facilè refertur text. nonus. eiuſdem libri, quo dicitur ab omnibus concedi eſſe quaſdam ſubſtantias ſenſibiles, atque idcircò in illis primum eſſe immorandum; dixerat autem text. 2. quarti libri ſubſtantiam huius facultatis eſſe proprium ſubiectū genus, ex igitur nedum naturales, ſed & ſeparatas quoq; ſubſtantias, ut Deum & intelligentias ex Ariſtotelis ſententia neceſſe eſt contineri; idque rurſus repetitur text. ſexto, octaui libri, ubi manifeſtum (inquit Ariſtoteles, ex dictis, eſt quænam ſenſibilis ſubſtantia, & quomódo ſit; quaſi de alia quoque ſubſtantia, quæ minime ſit ſenſibilis diſputationem ſuſcipiendi Metaphyſico munus ſuperſit. Verbis autem illis text. primi, libri noni, actum & potentiam in plus eſſe, quàm ea, quæ ſecundum motū dicuntur; & illis text. decimiſeptimi, actum tempore ſemper præcedere alium ante alium uſq; ad eum qui eſt primo mouentis, atque etiam magis principaliter: æterna enim priora eſſe corruptibilibus ſecundū ſubſtantiam, uidetur ſine dubio ſignificari actum & potentiam, quæ proprietates ſunt entis, quod eſt Metaphyſicæ ſubiectum, uni-

uerſim

uersim ac generatim accipi debere; quatenusve non ad res physicas modo, sed ad supernaturales etiam accommodantur. num item libro 11. cap. 1. idem non obscurè asseritur plurimis illis dubitationibus non nisi ad immateriales mentes, & ad communissimam entis doctrinam spectantibus ab Aristotele propositis? quæ uero sunt huiusmodi utrum demonstratiua principia speculari vnius scientiæ est, an plurium? atque utrum omnes substantias an non; & an circa substantias solum, aut etiam circa accidentia uersari sapientia debeat? eademq; num tractet de causis naturalibus, quæ motum includunt, an neque de ipsis, neque de Mathematicis agat? nihil enim inquit horum separatum est, ac subdit deinde neque de sensibilibus substantijs eam agere, quòd ortus & interitus capaces existant. Postremò uelut per certam assertionem restat inquit Philosophiam propositã de Mathematicarum materia tractare, cum ea neque ad Physicum, neque ad Logicum spectet, ac rursus ad dubitandum redit, num huius scientiæ intersit agere de principijs, nũ de elementis, quæ insunt compositis? num de primis generibus cuiusmodi sunt ens et unũ; num de particularibus & indiuiduis, & num de ultimis speciebus, quod controuersum sit, quænam horum uocari debeant principia? num denique principium, quod quæritur sit à substantijs sensibilibus separabile necne? sub quarum dubitationum finem concluditur esse aliquid separatum, quod potissime quęratur in hac scientia: secus inquit quo pacto ordo erit nõ existẽte aliquo perpetuo, separato, ac permanẽte. Quòd si tale concedatur, quomodo sub principio æterno co n tinebuntur substantiæ corruptibiles? quòd si quis quæ maxime uidentur immobilia principia, ens & unum

ponat &c. c. 3. disertis verbis repetet Philosophi scientiá esse entis, prout ens est, uniuersaliter, & non secundum partem; ac si quidem ens est æquiuocum; non posse de eo esse vnam scientiam; si analogum, posse: & paulo post, quæ enti inquit prout ens est accidunt, & eius prout ens contrarietates, non est alterius, quam Philosophiæ speculari; Physicæ namque de eis speculationem non prout entia, sed prout motu participant, attribuere queat quispiam; Dialectica uerò, & Sophistica sunt quidem de his, quæ accidunt entibus, uerum non prout entia sunt; nec circa ipsum ens, prout ens est; unde restat Philosophum esse circa prædicta speculatiuum, prout entia sunt; cum autem Mathematicus propriè specialiter communibus utatur, horum quoque principia speculari primæ philosophiæ proplecto erit; ac non multo post eodem autem (inquit) modo circa etiam naturalem scientiam se habet; quo Mathematica; ac postremo cõcludens dicit propter id illam, & Mathematicas scientias sapientiæ partes esse; cap. quinto, demõstrat primi & communissimi principij necessitatem; quæ est nõ posse fieri, ut de re eadem simul enuncietur annuens & negans propositio, unaq; & eodẽ tempore sit, & non sit; rursusque cap. 6. repetit illa, quæ scripserat in tertio capite in hunc modum, cum autem quædam scientia sit entis prout ens, & separabile est: considerandum est utrum eam eandem cum Physica ponendum sit, an magis aliam; Physica sane circa ea est, quę motus principium in seipsis habent, Mathematica uerò speculatiua quidem est, & hæc quædam circa manentia, non tamen separabilia; circa separabile igitur ens, & immobile alia præter has ambas scientia est; si aliqua quidem talis substantia est; dico autem separabilis &

immobilis

immobilis, quod tentabimus ostendere; & si quæ talis in entibus natura sit, illic profecto diuinitas erit; & hoc erit primum, & principale principium: patet igitur tria esse genera scientiarum speculatiuarum Physicam, Mathematicam, Theologiam; optimum igitur speculatiuarum quidem genus scientiarum, harum saue ipsarum ea, quæ ultimo dicta est; circa namque honorabilissimum entium est: & in fine capitis dubitauerit autem inquit quispiam utrum entis prout ens est scientiā uniuersaliter ponere oportet, an non; Mathematicarum etenim unaquæq; circa unum quoddam determinatum genus est, vniuersalis verò communis de omnibus est; si itaque naturales substantiæ prima sint entium, ipsa quoque scientia naturalis prima scientiarum erit; quòd si alia natura, atq; substātia separabilis est, & immobilis, necesse est ut scientia quoque eius alia sit & naturali prior, & uniuersalis prior. cap. 9. postquam prolixam de infinito orationem habuisset, ostensurus de illo se egisse Metaphysice, hoc est ratione diuersa à Physica, hac usus est loquutione, quòd si Physice potius contemplemur, ex his patet. Ex duodecimo libro non minus hauriuntur argumenta, quibus eadem sententia uera esse demonstratur, primumque ex textu 29. qui est huiusmodi, quæ igitur sensibilium principia sunt, & quot, quove modo eadem & diuersa dictū est; cum uero tres sint substantiæ, duæ quidem naturales, alia autem immobilis, de hac est dicendum, quòd necesse est perpetuam aliquam, & immobilem substantiam esse; etenim substantiæ primæ entium sunt; ac si cunctæ corruptibiles, omnia corruptibilia &c. quo ex loco non difficili ratiocinatione deducitur de omnibus substātijs, his libris esse susceptam disputationem, quatenus primi

entis naturæ partem habent; cumq; hactenus de ijs substantijs, quæ naturales dicuntur luculenter disseruisset, instituit deinceps orationem de substantijs, quæ corporeæ sunt expertes concretionis, de Deo inquam, ac de intelligentijs, eamque ob causam text. 30. demonstrat esse primam causam mouentem, quæ tota substantia sit actus, atque à text. 35. vsque ad text. 42. non minus accuratum, quam uberem sermonē habet de natura, de vita, de actu, de operatione, de beatitudine, de intellectuque & intelligibili diuino. a text. 43. ad text. 51. de numero disseritur intelligentiarum text. vero 51. de principe mente disputatio sumitur, de modoque intelligendi, quę illius propria censetur, ac textu denique 52. de diuina prouidentia, ut ex ijs uerbis notum esse potest perscrutandum autem etiam hoc, quonam modo natura uniuersi habeat ipsum bonum, & optimum, utrum separatum quiddam: & ipsum, an perse, an ipso ordine; quæ omnia proprie ad eam facultatem referuntur, quæ Theologia nominatur, quam nemo sanæ mentis cum Philosophia naturali eandem putauerit; atque hęc ex ipsis Metaphysicorum libris deprompta testimonia, maximam ad eam sententiam demonstrandam, videntur quidem vim habere, quam communi consensione omnes sequuntur: certiori tamen deductione ijsdem fauet locus Aristotelis qui est in c. 1. libri primi de partibus animalium; sic enim habet utrum de omni anima docere naturalis scientiæ intersit, an de aliqua una; atsi de omni, nulla certe præter Philosophiā relinquetur scientia: intellectus enim siue mens rerum intelligibilium est, itaque rerum omnium notiones naturalis vna tenebit; est enim eiusdem scientiæ, ut tàm de intellectu, quàm de intelligibili doceat, siquidem eadem contem-

contemplatio omnium est inter se coniunctorum, sicut sensus etiam & rei sensibilis, an non omnis anima principium motus est &c. quibus post aliqua interposita sic subiungitur: constat igitur non de anima differere omni oportere, quandoquidem non anima omnis natura est, sed aliqua eius pars una, aut etiam plures: ad hæc rem à materia abstractam nullam potest scientia naturalis contemplari, cum natura rei alicuius gratia faciat omnia, rebus autem abstractis abiunctum id est, quod sub hoc cuius gratia uerbo intelligimus; vt enim ars in artificiosis, ita in rebus ipsis aliquod esse principium aliud, & talis causa videtur, quam ex uniuerso perinde ut caloris, frigorisq; primordia habemus; qui locus maxime uidetur euertere, expugnareque nostram sententiam, quòd ipso luce clarius dicatur, id quod abstractum est, nullo modo ad Philosophum naturalem pertinere, de quo tamen sæpissime est Aristotelis opinio his libris repetita (ut manifestum est ex ijs quæ commemorauimus) præcipue haberi orationem à Metaphysico; Hæc habui, quæ pro recepto in Academijs velut rato dogmate in præsentia referrem, haud dubius fore, vt plura, & fortasse certiora aliorum animo suppetant, sed hæc cum sedulò discussa cribroq; tanquam ventilata, & expensa fuerint, exigua ijs quæ ab alijs inuenientur fieri v rium accessio poterit, quæ suopte pondere non illico corruat, imbecillitateque labascat, primogenio tanquam robore extenuato, atque eneruato.

Nos diuersam ab alijs sententiam sequimur, quã altius repetito principio hunc in modum exponimus. duplex fuit Aristotelis librorũ genus acroamaticum, & exotericum, hoc ad vulgarium hominum intelligentiam erat

accomodatum illud non niſi Ariſtoteli audiendo aſſuetis hominibus, in philoſophiaq; exercitatis intelligibile erat, quòd breues collectiones contineret methodo traditas eorum, quæ ab Ariſtotele in ſcholis audiuerant; atque libros Phyſicos acroamaticos fuiſſe, cum inſcriptio ipſa declarat: tum etiam modus, quo citantur ab Ariſtotele in primo cœli cap. 6. eos enim ſermones vocat, qui libri quoniam aditum faciunt ad cognitionem totius ſcientię de natura; conquerebantur aliqui, quòd nimis obſcuri eſſent, difficilesq; & inuoluti; quæ res anſam dedit Ariſtoteli luculentos aliquot velut commentarios excogitandi, quibus ea, quæ in libris de natura ſtrictim & ſuccinctè tradita fuerant, uberius (viris tamen doctis) exponerentur: atque horum librorum appellationem, quæ eſt μετὰ φυσικὰ latine reddi poſſe de ijs quę ſunt in Phyſicis, quemadmodum ab alijs redditur de ijs, quæ ſunt poſt Phyſica, nemo eſt in græcis literis tam parum uerſatus, qui ignoret; cũ præſertim vulgari modo reddita futilis, ac ridicula videatur; quæ enim ratio eſſe poteſt, ut libri ſcientiam aliquam docentes ab ordine inſcribantur librorum alterius facultatis, qui ipſos antecedunt? quòd ſi petas quidnam illud eſt quod luculentius explicandum erat in Metaphyſicis, quàm in Phyſicis explicatum fuerat? dico eſſe primum effectum formalem, quod eſt ipſius rei eſſe, quatenus tale eſt, non ad motum, & externas actiones uel paſſiones relatum, neque ad hanc uel illam naturæ ſpeciem contractum; cuius præciſe ſumpti proprietates ſunt vnum, multa, idem, diuerſum, oppoſitio, actus, potentia, & alia id genus; quod ut magis dilucidè percipiatur, à principali natura, quæ eſt forma, manare dicimus varios effectus ordine quodam, nimirum eſſe, eſſentiam, facul-

tates,

tates, & externos actus, siue actiones sint, siue passiones, quos generali nomine motum appellamus; qui effectus vt accuratè doceantur, singuli proprias tractationes requirunt, easque satis prolixas: propterea in Physicis Aristoteles exactissimè compositam orationem edidit de motu, & de ijs, quæ motum consequuntur, tanquam de magis notis nobis inter ea, quæ in natura conspiciuntur; quodque ad illius perspicuam notitiam non esset necessaria cognitio primi ipsius formæ effectus, quod ens nominatur, de quo ne tot longarum tractationum permixtione scientia confunderetur, separatim agere uoluit Arist. in libris Metaphysicis, præter ea, quæ de ipso (uelut raptim) in Physicis tradiderat; quo in opere separato de esse naturali, de effectibusque per se, proprie, & immediatè ab illo emanantibus simul etiam breuem instituit commemorationem omnium, quæ exposuerat in Physicis, quòd hæc ab illis originem habeant, in eaque resoluantur tanquam in prima principia; vtque simul etiam ordo innotesceret, quo inuicem iuncta, & colligata sunt; ne vel censeret aliquis Physicorum, & Metaphysicorum libris scientias doceri inter se distinctas, totoq; (ut aiunt) cœlo disiunctas: ita enim se habent, ut posterior sit prioris scientiæ sapientia de uno & eodem genere subiecto; ac tametsi eiusdem doctrinæ separatas partes constituāt, neutra tamen integram ex se scientiam facere potest, utrisque ad absolutæ cuiusdam perfectæque doctrinæ cōpositionem necessariò concurrentibus: verba sunt Aristotelis in sexto Nicomachion cap. 7. quemadmodum in artibus attribuere illis sapientiam consueuimus, qui absolutissimi in ipsis sunt, unde Phidiam sapientem marmorarium, Policletum sapientem statuarium dicimus;

ita in scientijs sapiens est, qui non solùm quæ ex principijs sunt, cognoscit; sed etiam de ipsis illius scientię principijs exactissimam cognitionem habet. Hæc Arist. Error uerò aliorum inde est natus, quòd scientiam à sapientia haud bene distinguerint, principiorumque cognitionem nouã scientiam facere putarent; cum tamen sit impossibile ut essentialia, & maxime propria subiecti alicuius principia cum eodem non retro commeent; quod essentialem habeant inter se relationem, internamq; & prorsus inseparabilem; uel ut illius facultatis limites excedant, quæ circa huiusmodi subiectum uersatur: atqui compertum est priores illos formæ effectus, à quibus nominabam propria esse, per se, & immediata principia; cunctarum rerum; quæ in natura conspiciuntur, atque illorum Physicorum doctrinam, qui uniuersa ad naturam spectantia perfectè, & ad unguem callent, sapientiam esse nominandam; perspicuum est ex ijs, quæ subiungit Aristoteles in loco citato; constat inquit ex ijs, quæ dicta sunt, sapientiam esse rerum præstantissimarum natura scientiam & intellectum, Vnde Anaxagoram & Thaletem, atque huiusmodi homines cum ignorare ea, quę sibi utilia sunt, viderent, non prudentes sed sapientes esse dicunt, ac superuacua quidem, & admiranda, & difficilia, & diuina cognoscere ipsos asserunt, sed inutilia tamẽ. Hactenus Arist. Constat autem Thaletem adeò merè Physicum fuisse, ut aquam fecerit rerum omnium, quotquot sunt, principium: Anaxagorã quoque philosophiæ naturalis limites non transilijsse testis est Socrates apud Platonẽ in Phœdone, in quo eius Physicã reprehendit, quòd in rebus naturalibus explicãdis animum ad causas diuinas non intenderit, naturęque totus inhæserit: sed age quod diximus, in apertiorem lu-

cem proferatur, ueritatisque ex ipsis fontibus manifesta consequutione deducatur; id autem commodius fiet assertionibus nonnullis ante positis, per certasq; rationes demonstratis, quæ futurā. ¶Prima assertio disputationē velut fundabunt, stabilioremque efficient. Sit autē prima assertio tanquam primus fundamenti lapis, esse rerum naturalium simpliciter consideratum quatenus est esse; ad naturæque constitutionem nondum contractum est, haud quidpiam significare, quod uniuoce & sinonimos commune sit, cum rebus naturalibus Deo, & cæteris à materia separatis substantijs, quam sic demonstro. Si esse Dei, & aliarum rerum vniuocè est idem, hinc sequitur cuncta quoq; attributa, quæ de Deo, & rebus alijs enunciantur, cuiusmodi sunt bonitas, perfectio, virtus, substantia, potestas, actus, simplicitas, intelligentia, & reliqua, id genus vniuocè esse eadem; id vero longe est absurdissimum, & ab omni ratione alienissimum: consequens ostenditur vel ex communi veterum Philosophorum, Theologorumque sententia, qui per negationes melius, quàm per affirmationes Deum cognosci posse pronunciarunt, quòd sicut acutè dicitur à Scaligero nullis uocibus tam plenè Deus significetur, quàm ijs quæ ignorationem nostram prætendunt, nimirum ubi eum immensum vocamus, infinitum, incomprehēsibilem, & reliquis eiusdem generis attributis: hinc Platonis Socrates per Iouem inquit nos si mentem haberemus, Hermogenes, præcipuum rectitudinis modum constitueremus, nobiscum fateri, nihil nos de Dijs cognoscere, neque de ipsis inquam, neque de ipsorum nominibus, quibus ipsi se uocant; & Origenes oratione vigesima super Exodum, omnes, inquit, homines ad comparationem uerbi diuini, nō

ſolum ineloquentes, ſed & muti putandi ſunt; quæ res ſic explicatur à Marſilio Fecino comm. in D. Dioniſium de diuinis nominibus, nomina, cognomina, adiectiua, quæ à ſacris literis varia tribuuntur Deo, non ad hoc inuenta ſunt, ut ipſam Dei naturam ſignificarent, quæ cum unica ſit, & ſimplex, ſi nominanda foret, unico nomine foret nominanda: ſed ideo inſtituta ſunt, ut multa, uariaque bona à diuina bonitate largiſſimè profluentia declararent; ſi quid uerò præter proceſſum à Deo ſignificant, apud Deum dicunt utique, quid non ſit ipſe Deus, ut cũ dicitur Deus, ipſum unum, uel unitas, vel monas, per hęc primò ſignificatur non eſſe Deos plures, ſed unicum: itẽ vnicum Deum non eſſe compoſitum, ſed ſimpliciſſimum, rurſus ſimpliciſſimum Deum non eſſe diuiduum; atque ita his dicitur, quid non ſit ipſe Deus? & alio loco in ijſdẽ comm. per ipſius inquit Dei appellationes intelligenda ſunt munera quædam ex diuina prouidentia uniuerſis gradibus diſtributa, per ipſam quidem appellationem boni, bonificos proceſſus per omnia paſſim entia, atque non entia, uel vſque ad materiam primam boni prorſus auidam, quamuis non eſſentiæ compotem; per appellationem verò entis & vitæ vires diuinitus procedentes, diſtribuentesque ſingulis citra materiam exiſtendi munus, atque viuendi, pluribus tamen eſſe, quàm viuere cõconcedentes. Per cognomen intelligentiæ, vel ſapientię quendam diuini ſplendoris effluxum, cognitionem triplicem gradatim largiẽtem, intellectualem quidem Angelis, rationalem nobis, ſenſualem denique brutis, ipſum autẽ inter hæc Deum extare cogita, ſuper entia ſimiliter & eſſentiam, ſuper viuentia vitam, ſuper omnia, quę ſapiunt ſapientiam; hæc eo loco Marſilius Fecinus, qui in

librum

librum Dionisij de Trinitate, de eadẽ re sic philosophatur; duo quædam potissimum, inquit, de rerum principio communiter cogitamus, unum quidem queadmodum omnia inde profluunt, semper dependent: alterum uero quemadmodum ipsum interim est ab omnibus eminentissime segregatum. Prima igitur ratione omnia quæ diuinitus effecta sunt, quatenus inde videntur egredi, de Deo possumus affirmare, quasi non inde venire potuerint, nisi prius illic extiterint: sic Deum esse affirmamus essentiam, substantiam, vitam, intellectum, animam, naturam, cœlum, elementa, stellas, itemque formas rerum vbiq; formosas; Sed ratione secunda negare rursum singula de Deo debemus; quo enim pacto est aliquid eorũ quæ facit, siquidem est ab eis interim mirabiliter segregatum? est autem tutior, ueriorq; negatio rerum, quàm affirmatio circa Deum; quoniam longe plus est, quod ipsius Dei separatum est à rebus singulis, quàm quod ipsis rebus est communicatum; hoc enim finitum est omnino, illud autem prorsus immensum; denique mentiri facilius affirmando, quàm negando possumus: siquidem affirmatio ad intelligentiæ nostræ limites finire videtur, quod incomparabiliter est immensum. Sic alij ratiocinantur: nos secus ad Aristoteleam demonstrandi rationem magis accommodatè, ne Platonicorum nodis uti videamur in Aristotelis sensu explicando: sententia tamẽ ipsa in idem recidit. Deus causa est vitæ, essentiæ, substantię, sapientiæ, bonitatis, & reliquarum huiusmodi proprietatum in alijs rebus æquiuoca, nõ uniuoca; nam si vniuocè illas communicaret, Dei, & hominis sapientia (verbi gratia) non differrent, nisi secundum magis & minus, per accidensq; & aduentitia vi; quod impium est dicere, cum

finitum

finitum ab infinito distinguatur magis, quàm diuisibile ab indiuisibili, quæ tamen totam naturam diuersam habent. Quod autem dicunt aliqui ignem, qui in infinitum excresceret, diuersum non fore ab eo, qui nunc finitus conspicitur; ridiculum est, habetq; contradictionem in hypothesi: qui fieri enim potest ut deductio distinctionis certis cancellis coercitæ ab eodem secundum naturã actu proficiscatur, qui propriæ distinctioni nullos terminos ponit? sic lubet effari, quoniam actus est qui separat, ac distinguit, ut ab Aristotele scribitur: erit ergo eadem natura per se efficiens affirmationem & negationẽ? Dicet aliquis infinitatem nõ accessuram igni, nisi per accidens, & per aliud; sed rursus euincetur, quoniam quidquid ab alio est, accidensque existit, separari potest potestate aliqua ab eo; cuius accidens uocatur: at infinito igni non posset adimi infinitas, quoniam non fuisset ante infinitus uere, cũ illud quod est infinitum, fine careat; deinde natura ignis, quemadmodum & aliarum rerum naturalium, modum quoque sibi conuenientem quendam, & respondentem habet: qui ipsam internè, & secundum essentiam sequitur, quam Logici per differentię nomen solent adumbrare ad speciem comparatę; atqui eximeretur igni modus omnis propriæ naturæ, si fieret infinitus, infinitatem intelligo igni additam, non quatenus corpus est & certis dimensionibus circumscriptus, sed quatenus est ignis, uimque habet calefaciendi, & exiccandi; quamquã quid hoc opus habeo argumento, siquidem concesso finitum & infinitum æque distingui, atque diuisibile & indiuisibile; quod necessarium est confiteri, cum infinitũ, quatenus huiusmodi est, necessariò sit expers omnis diuisionis; cuique est etiam inuito dicẽdum ipsa toto coelo

diuersam

diuersam rationem, naturamque habere? sit ergo certũ & exploratum, ita ut negari non possit, Deum communicare proprietates illas, quas dixi, rebus alijs æquiuocè, non vniuocè; ex quo sequitur fieri non posse, ut ipsæ uniuocè sint inter se eædem; quod initio quærebatur, eratq; nostri argumenti cõsequens. Sed respõdeat aliquis, nos ad Aristotelis sententiam eliciendam duo assumere, quæ in eius doctrina sunt maximè controuersa: nimirum Deũ communicare alijs proprietates suas, eundemque esse infinitum, cui difficultati sic satisfaciendum censeo, haud ita se rem habere; quod enim de finiti, & infiniti discrimine assumebatur, tam verum est si Deus non efficiens causa vniuersi constituatur, quàm si ejusdem conditor is iudicetur: quamquam nostra ratiocinatio commodioris hominum intelligentiæ causa ab efficientia Dei æquiuocationem deduxit diuinarum proprietatum, & illarum, quæ reliquis rebus conueniunt: quod verò ad Dei infinitatem attinet, certum est Ammonium, Alexandrum, Simplicium, Themistium, Philiponum græcos interpretes vniuersos, Deum censuisse infinitum ex Aristotelis sententia, solus Auerroes finitum, inquit, & infinitum corporis sunt passiones, quæ propterea corporis expertibus substantijs conuenire nullo modo possunt; ex quo sibi colligere videtur Deum neque finitum esse, neque infinitum; sed mehercule imperitè; etenim cum infinitũ nominatur, si dictionem putas priuatiuã, fallerijs; id quia si uerum esset, eadem res ex finita fieri posset infinita, aut è conuerso: negatiuè igitur accipienda est, atqui hoc modo si intelligas infinitum, non potest illud cum finito rei alicuius proprietates cõstituere: uaga enim est & minime certa attributio negationis. Amplius si infinitum actu

corporis

corporis esset proprietas, nõ repugnaret rationi corpus aliquod inueniri actu infinitum;atqui id impossibile iudicatur ab Aristotele:ut enim probet primum aliquem motorem,primamve aliquam causam inueniri, uelut in absurdum deducit aduersarium,si id non fateatur fore,vt in causis ac motoribus progressus detur infinitus; quod minimè faceret, si infinitatem discretæ quantitati adiudicari posse existimaret;quæ autem ratio sit quantitatem continuam,potiusquam discretam,infinitam concipi per rationem posse? nonne secus putandum, cum diuisibilitas ita continuæ quantitatis propria censeatur,ut pleriq; ab ipsa hanc definiuerint? an diuisio, quæ infinitatem secundum potentiam coniunctam habet, infinito quod in actu ponitur,non ex diametro repugnat? nemo autē putet infinitum potentia,quod corporis proprium est,& infinitum actu, de quo in præsentia loquimur,actum & potentiam uerè esse circa idem genus versantes,remque ad eandem relatas: finito enim illi, quod partitiones in infinitum sibi inuicem succedentes habet, si in potentia sumatur, velut proprius actus respondet deductio ipsa quantitatis per diuisionem, fine quidem aliquo semper terminata, sed ita ut indeficienter ac sine fine, finis alius seu terminus antecedentem finem consequatur; quare haud male quispiam dixerit, illa si hoc modo nominauerit, vt actus & potentiæ oppositio, clarè inspiciatur; successio diuisionum vltimo fine nunquam terminatarū cum potentia, tum actu; quæ tum proprie potentia infinita dicitur, cum actu sumitur, ne illam unquam exhaustam iri existimes, quod fit ob naturam successionis, & fluxus, cuius pprius, naturalis,& essentialis actus est ipsa potentia actubus velut interruptis, ac dilabentibus contenta;

tenta; non quòd ipsa actus naturam induat, cuius est correlatiua; aut rei alicuius naturam constituat, quod actus proprium est, sed quòd antecedenti, ac præsenti actu semper excitetur noua potentia ad actum consequentem in eadem diuisa quantitate, quæ potētia, si ad omnes actus referatur, qui subinde per partitionem exorientur, vocabitur infinita, hoc est fine, ac termino carēs; fine inquam extremo, non eo, qui extremus non est; eamq; tam possibile est, ad unum aliquem extremum actum diuisionis reuocari, quàm uerum est ipsam extremi actus comparatione priuatiuè infinitam dici, ac non potius negatiuè; qua tamen negatione simul etiam cōtineri priuationem actuum consequentium; qui minime extremi sint haudquaquam diffiteor. sed eam certum est non uanam & inanem esse, tandemq; in actus suos deduci, ut cuius est perspicuum: huiusmodi uerò quantitatis diuisioni certū & extremum finem denegare, si consideretur ut quantitas est, non est absurdum; ut verò est naturalis in confesso est omnibus quantitatis cuiusque diuisioni certos ac definitos cācellos præscriptos esse, quos minime egredi potest, ne quis imperitus a rerum naturalium consuetudine, ob certum finem agentium argumētum accipiat incerti finis negandi in diuisione quantitatis; sed de his alius dabitur disputandi locus: ad rem: finita dicuntur corpora, quæ certis ac definitis interuallis conclusos terminos habent: erunt igitur finitæ substantię, quæ actum, hoc est perfectionem propriæ naturæ quibusdam uelut limitibus septum ac vallatum habent; infinitaque substantia vocabitur actum possidens nullis perfectionis & præstantiæ finibus circumscriptum; in eam concludunt puncta, superficiem lineæ, corpora superficies, quæ sunt

ridiculum est dicere, quoniam connexio & copulatio rei cum suis extremitatibus, quæ continuationi quantitatis analogia quadam respondet, non dissimilẽ aut diuersam, sed eandem esse vtriusque naturam declarat; quod non cernitur nisi in actu & potentia ad rem eandem comparatis, quæ, propterea, vt Arist. dicit, non multa sed rem vnam faciunt; cum tamen duo actus necessariò multitudinem efficiant, cum simul copulantur: quæ hæc sit potentia actui cuiuis insita, præter eum qui supremus est, declarabitur alio loco. His positis, hoc esto sententiæ nostræ argumentũ: Deus ex Aristotelis opinione in Metaphysicis est actus purus, ab omni potentiæ contagione separatus: erit ergo infinitus eiusdem sententia, & nullis terminis circumscriptam naturam possidens; neque vero est vt aliquis obijciat nobis, actus quoque proprium esse terminare, & finire, quod ab Aristotele scribatur illo res separari atque distingui, quoniam secus actus distinguũt, quam potentiã: actus enim se totis distinguunt res, quarum sunt actus ab alijs rebus; potentia vero non res distinguit, nisi quatenus illarũ actibus adiuncta est tanquã terminus & extremũ quoddam; terminareq; & separare aut distinguere nõ eandem rem significant, tametsi vulgus interdum eodem accipit vtrumque significato: non enim terminat ac definit, actus nisi potẽtiam ipsam; quia quo modo actus deductio potentiæ adiunctione certis tanquam cancellis finitur; eadem aut non admodum dissimili ratione uaga & incerta potentiæ alicuius generalis terminabilitas actus accessione restringitur, ueluti; coarctatur ad illum, potiusquàm alterum actum terminandum; ita aiunt omnes Philosophi per formam definiri, ac certo modo coerceri materiæ primæuam illam

& communem potentiam. Atque hactenus de prima ratione ad illius consequentis probationem dictum sit. Qđ erat fieri minime posse, ut de Deo enunciantes proprietates, & attributa vniuoce sint eadem cũ ijs, quæ ad alias res referuntur; quod rursus alio modo demonstratur: attributa ideo verè de Deo prædicantur, quia illi insunt, sic enim logici præcipiunt, at quidquid est in Deo, ipsamet est essentia Dei, ut communis est sensus omnium veterum Theologorum, qui accidentarium, & aduentitiũ omne a Dei natura excludunt, ne illi aut compositionẽ, aut potentiam, aut dissolutionem tribuere videantur, quæcunque igitur res vniuoce communes habebunt cũ Deo proprietates, essentiam quoque vniuoce communẽ cum eo habeant necesse est; hinc verò perspicua consequutione colligitur, & illud necessarium fore ut Deus cathegoria aliqua cum alijs rebus contineatur; quod a veritate certum est dissidere; negabit aliquis necessitatem deductionis; quòd non possent illæ proprietates essentiã indicare communem, nisi rerum omnium, ne dum ipsius Dei, essentiam subeant; at eas concessum fuerat solius Dei cum essentia confundi, non item cum essentia rerum aliarum; esto: at ex illis, quæ utrisque sunt essentialia, cuiusmodi sunt substantia, & rationale, aut si mauis intelligentia præditum, quis neget recte trahi syllogismi ductum? Deum nullo contineri prædicamento, ut omittã Platonis, Plotini, Simplicij, & Ammonij authoritatem ratio quoque ipsa ostendit; actus enim purus, & infinitus nihil habet aut primum, aut secundum, aut antecedens aut consequens, in se nullo totus simul vocabulo significari, aut notione comprehendi potest; totus inquam, tametsi non totis modis vel vt alij dicunt totaliter, cum

omni ratione humanæ intelligentiæ aciem effugiat; confusissima quadam iuxta & remotissima excepta cognitione, quæ densis offusæ tenebris menti nostræ concessa est; totusq; & totis modis infinitus ob essentiæ impartibilitatem, seipso simplicissimo, simplicissime concluditur; vt vanum sit ipsum voce aliqua essentiali proferre, quæ in terminatam immensitatem, & indiuiduam simplicitatem illico non referat; ausimq; impios vocare (dicto inquam, non sententia) illos omnes, qui contrariam opinionem sequuntur, quòd inuiti in eam hæresim labantur, qua aut negent Deum esse infinitum, aut eum asserant modis aliquibus & finitum, & diuiduum esse, cum nullum extet attributum: quod non ob id verum censeatur, quia rei conueniat aut per se totam, aut per suas partes, aut per suas rationes consideratæ; neque verò re solum, sed etiã essentia quidquid de Deo cogitatur, infinitum esse oportet, ita ut secus concipi animo non possit; quòd quemadmodum nihil est in Deo, quod ipsius non sit essentia, ita debeant singulæ rationes, secundum quas Deus consideratur, ex se mutuo secundum essentiam pendere, ut nec definiri nec nominari, nec cogitari altera sine altera possit ob illius principij necessitatem. quo dicitur quæcumq; vni tertio sunt eadem, & inter se eadem esse debere; ex quo luce clarius, nõ minori facilitate antecedentis illius demonstratio sumitur, quod initio assumebatur, si ens quod tribuitur Deo vniuoce est idem cum eo, quod alijs de rebus enunciatur; fore vt cætera vniuersa attributa de utrisque prædicantia vniuoce sint inter se eadẽ. Enimuero si se totis diuinæ proprietates, & omnibus modis sumptæ aliud non sunt, quàm ipsa Dei essentia; quid in ipsis putare poterit quispiam superesse, secundum quod

in ean-

rationi, quæ in Deo reperitur accidere diuinam essentiã, cũ in eo nullus sit, nisi essentialis nexus; quoquo versum diuinam naturam spectes, perspicuumq; existit ad illam ab ente ipso vniuersim, & generatim sumpto, & quacumque ratione considerato necessariam, & certissimam ratiocinationis deductionem fieri, maxime prima, & per se necessitatis lege: secus enim si putetur, haud erit uerũ, quod tamen est uerissimum, omnium aliarum maxime prima necessitate Deum ipsum contineri ut Deus est; quoniam rerum existentium series non ex Dei natura per se, sed ex ente ipso tanquam ex primario fonte deduceretur, diuinaq; essentia aliunde, hoc est ab entis in suas species deductione, non ex se ipsa existendi necessitatem haberet; quoniam forma non materia necessitas continetur, cum illa huius sit finis, non est è conuerso; naturæque magis per se cõmunes in ijs, quæ minus communia sunt, tanquam formæ in materia inueniuntur, cum hæ illis accidant, ipsæq; ab ijsdem rationẽ essentiæ accipiant, parte saltem quadam: nobiscum uero Aristotelem idem sensisse cum ex text. 26. cap. 15. libri decimi, constat vbi scribitur id quod interitui obnoxium est, atq; illud quod est ab interitu alienum, necessario cathegoria, & genere differre; ut enim id verum censeri posset, si de utrisque sinonimos quidpiam ualeret enũçiari? tum ex omnibus Metaphysicorum libris, quibus crebro inculcatur, communissimas illas & maxime vniuersales de ente propositiones ita certas esse, ut ijs nihil possit certius inueniri, totumque scientiarum orbem ab illarum certitudine tanquam a sacra anchora pendere; ijs igitur rebus ens Aristoteleum proprie ac per se attribuitur, quorum cõparatione generalia de ente axiomata certissima sunt,

pri-

primaque & per se nota principia uocantur alterius minime egentia probationes, propriæ enim certitudini debent, quòd principia sint, ex ipsis manifestissima consecutione colligi possint alteræ subalternatæ propositiones; atqui ex enunciatis Metaphysicis certissima quidem cõsequutione deducuntur Physicæ propositiones, quia si accipiantur generalia illa entis attributa de rebus naturalibus aientia, inde factæ enunciationes non nisi inductione probari possunt, ut exploratiores ac certiores uideantur; in Deo uerò & rebus diuinis non ita se res habet, quòd in ipsis inductione minime ualeant probari huiusmodi prima, supremaque attributa, egeant Physicis demonstrationibus ex posteriori deductis, ex quibus tanquam causæ ex effectis colligantur; ut esse Deum ex Mundi ordine, distincto & uario ornatu: non enim uerũ puto quod aliqui dicunt, propositionem hanc (Deus est) per se notam esse, cum subiectum effugiat omnium sensuum aciem, à quibus pendet certitudo principiorum, ꝙ sine sensibus nequeat mens enunciationi alicui assentiri, nisi ex alijs enunciationibus per demõstrationem tractæ fuerit, quo pacto ab intelligentia exceptæ non principia, sed obscuræ, & incertæ conclusiones enunciationes quęcumque forent nominandæ; idemque haud lateat in prędicato, nisi logica quadam remotissimaque potentia, quam nonnulli non repugnantiam nominant.

Secunda assertio sit; ens illud, per quod cum Deus opt. Max. tum res naturales esse dicũtur, nullam habere posse simplicem & communem rationem utrisque analogice conuenientem, cuius ratione certæ alicuius, definitæque scientiæ subiectum genus esse possit: analogum enim cũ multipliciter dicatur, debet etiam totum ad unum prin-

cipium

cipium referri, ut scribit Arist. in quarto Met. c.2.tex.2. quæ relationes cum & externæ esse possint, quales sunt rerum diuersarum ad eandem remotam proportionem per nomen aliquod commune, quo illa diuerse exprimitur, effectuum ad causam æquiuocam, rerum subinde nascentium ad primariam generis originem, mediorumq; ad eundem finem; risus enim pratis & hominibus, sapientia homini & Deo, nomen Auo & Nepoti, valetudoque medicamento, & vrinæ eadem secundum nomen esse dicitur; atque etiam internæ, cuiusmodi est accidentium ad substantiam in ente comparatio dicente Arist. in 7. Met. tex.2. quod accidentis esse est inesse, quod ita seuerè Iandunus est interpretatus, ut Aristoteli Auerroique uelut certam adscripserit sententiam de accidentibus, ea formaliter esse, & existere per habitudinem ad substantiam; haud dubium est subiectum genus quoduis per analogiã vnum, ut ad unam facultatem spectet, non externam, sed internam, formalemque analogiæ comparationem habere debere; quòd quidquid aduentitium est & externũ, longe absit ab ea unitate, quæ per se dicitur, cum subiecto efficienda. Tritum enimuero est subiectum genus scientiæ cuiuscumque rationem habere cum materialẽ, tum formalem; ab hacq; non ab illa vnicæ facultatis denominationem proficisci, quam formam alij aliter, nos ita pro diuersis humanæ intelligentiæ in intelligendo & speculando gradibus distinguimus: quædam non intelliguntur commodè, nisi dum à mente considerantur, sensibus quoque considerantibus coniuncta sint, & ijsdem quadrent, ac consentanea existant, cuiusmodi sunt res Physicæ; alia ut rectè apprehendantur ad sequentem praxim & usum referri debent, ut res cum actiuæ, tum

factiuæ ſcientiæ; vt probe percipiantur alia neque coniunctis, neque ſubſequentibus ſenſibus opus habent; cõiunctis inquam illi quæ de ipſis habetur contemplationi: quis enim receptũ axioma neget, nihil eſſe in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu? ac talia ſunt omnia, de quibus ſcientiæ agunt meræ contemplatiuæ, ſi tamẽ ullæ inueniuntur: vt uero pro comperto habetur, ſcientiam uocandam eſſe vnicam à forma potiſſimum, non à materia ſubiecti; ita omni procul ambiguitate eſt certiſſimum non poſſe formalem rationem eſſe per ſe unam, niſi inſit ſubiecto pro ſe uno: ſecus enim, id quod vnicum eſt ſuapte natura, duobus ſubiectis ſimul inhæreret; atqui iam diximus ens ad res naturales, Deumq; relatum non eſſe analogia ulla per ſe vnum; quod ea relatio, qua intricem in ente analogica ratione comparantur utriſque prorſus ſit externa, & accidentalis; erroris vero multis Peripateticis hactenus occaſionem dedit ratio minus circumſpecta Ariſtotelem interpretandi; germanumque & uerum illius ſenſum eliciendi; videntes etenim enti, quod in decem prædicamenta diſpeſcitur, analogiam ſufficere, ut ipſum dicatur per ſe vnum; cenſuerunt enti etiam, quod tranſcendentiſſimum nominant, quodque Deo eſt unà cum rebus alijs commune ſufficere analogiam, ut, unum per ſe dicatur; haud conſiderantes diuerſæ rationis eſſe hanc, & illam analogiam; ac in priori quidpiam concedi, quod principium commune ſit analogatorum, in poſteriori non item (principium inquam formale, & per ſe) negante Ariſtotele corruptibilium, & illorum quæ immunia ſunt à corruptione eadem eſſe poſſe communia principia; ſic enim habet text. 50. libri duodecimi: porrò nulli eorum, qui ponunt cõtraria, utuntur contrarijs, ſi quem

inquirere non pigeat; & cur quædam corruptibilia, & quædam incorruptibilia nemo dicit: omnia namque entia ex iisdem principijs faciunt; præterea quidam ex non entibus faciunt entia; quidam ut hoc non cogantur, unū cuncta faciunt:

Tertia assertio sit, illud ens quod rerum naturalium sic proprium esse diximus, ut Deo nullo modo conuenire posset, & re & ratione abstractum esse à materia; neque vero ipsum communissimo sensu accipimus, sicut cum & materiam suo modo esse à Philosophis dicitur; sed quatenus absolutum & perfectum est, fluitque a forma, quæ est id quod dat esse rei, hoc est quod rem in extremam propriæ perfectionis & absolutionis manum ducit, nomineque materiæ cum illam primæuam & remotam materiam intelligi volo, tum alteram, quæ accidētibus quibusdam affecta est sensilibus: Assertionis ratio est & formæ natura; à qua esse exoritur, quæ per se materiam minime includit, at compositi totius constitutionis modus; sententia enim est Aristotelis in primo Polit. c. 2. totum ratione prius esse, quàm partem, ex quo ratiocinatur ciuitatem naturæ ordine, & pagos, & priuatas domos, & singulos nostrum iure quodam prçuertere: quod de forma inuolutè dicebatur, ita euoluitur. esse formale non coniungitur materiei per se, hoc est quatenus tale est, sed quatenus capax est ortus & interitus: hinc Platonici dixerunt formas duntaxat efficere, complereq; rerum naturalium essentias, (quicquid dicant nonnulli imperiti formam naturalem ignotam Platoni penitus fuisse) ac solam exempli causa animam hominem esse, corpusque ad humanam naturam nihil pertinere, sed illius esse organum & instrumētum quoddam: doctius ac distinctius

Peripatetici materiam esse quidem de rerum substantia, at non de essentia earumdem; dicitur autem substantia ab accidentibus, quibus subsistit, subijciturque, quod potentiæ est sub actu; non actus ipsius, ut cuius est perspicuum: amplius dico substantiam vt est substantia esse equidem omnium accidentium, & sequentium cathegoriarum basem & fundamẽtum; at esentiæ comparatam, à qua fluit, illius ese primariam proprietatem: sed ad rẽ. Materia est pura potentia ut scribitur septimo Met. t. 8. ese formale quatenus tale, significat actũ, actus ut actus est, se toto hoc est re. distinguitur à potentia sunt enim valde opposita ut scribit Auerr. comm. 6. in primum de anima; ac diuidunt ens ut scribitur ab Aristotele 9. Met. text. primo & 11. & lib. 11. text. 27. analogica tamen diuisione, vt exponit Zimara theorem. 105. ese igitũ formale, quo res Physicæ cunctę constituuntur re abstractum ceñseri debet, prorsusque seiunctum à materia: ut enim con iunctio, qua res per se, & proprie simul uinciũtur duplex est prima & secunda; vt scribitur in libris de posteriori analyti. ita etiam duplex facienda est abstractio vtrique ex diametro respondens; altera qua res inuicem per rationem & definitionem distinguuntur; qua se totis, hoc est secundum omnes ab esentia fluentes proprietates distinguuntur altera, quam aliqui realem vocant distinctionem; ab accidentibus uero sumptas distinctiones rerum indignum est Philosophi munere proprijs nominibus appellare, de ijsque priuatam instituere contemplationem; quantitas abstrahitur à materia ratione, hoc est primo illo modo, sed non re: quia quantitatis & materiei coniunctio per se est secundo modo; Mathematicique abstrahunt à materia quantitatem, hoc est præscindunt

ac separãt illius rationem ab alterius natura; sed minime abstrahunt totam quantitatem; vt hæc quidpiam est ex sua ratione & suis & proprietatibus conflatum, quantitatis etenim inter primarias ꝓprietates maxima est ipsius cum materia necessaria connexio; à materiaq; veluti dependentia, quatenus quantitas est, non quatenus ortum vel interitum recipere potest; obijciat aliquis ortus ac interitus capacem esse formæ, necessariam videri naturalemque proprietatem: cui respondemus nos id verissimũ esse, si ad externam & aduentitiam necessitatẽ referatur, quæ alio loco exponenda est; at falsum si ad internam: quis enim actui per se dicat conuenire, quod ab opposita potentia originem ducere est certum? tametsi uero potentia quidpiam est ab actu prorsus diuersum, eidemque modo quodam oppositum: haud propterea tamen id impedimento esse potest, quominus unum per se, hoc est compositum ipsum simul constituant; huius etenim rei causa est potentiæ imbecillitas, quæ non valet cum actu multitudinem facere, quod actus sit proprium vt scribitur text. 49. lib. 7. Meth. distinguere ac separare; solum sunt fundamenta relationis, quam inuicem acquirunt, cũ in eiusdem totius compositionem ueniunt, quamquam nemo proprie dixerit in compositionem potentiam venire; ita nos de duplici abstractione philosophamur, de ea quæ secundum rem existit, ac de illa quæ secundum rationem nominatur; qua in re Aristotelis doctrinam sedulo sumus sequuti: is namque primo lib. Topic. cap. 6. numero inquit eadem sunt, quorum & nomina plura & res una eadem, ut vestimentum, & vestis; speciei autem eiusdem sunt ea, quæ multa sunt, neque specie differunt, vt duo homines & duo equi; non igitur recte in scholis

rece-

recepta eſt conſuetudo de ijs quærendi, nũ re diſtinguantur, an non diſtinguantur, quæ diſſimilem prorſus naturã faciunt, diuerſaſque ad ſpecies referuntur. Rationem vero cũ definitionẽ tum quidditatẽ Ariſtoteli ſignificare exploratius eſt, quam egeat probatione. Animaduertes autem (ne ſtatim obijcias me mihi pugnantia ſcribere) eſſentiam & proprietates ſi ſpectentur eę quatenus tales ſunt, haud eſſe diuerſarum cathegoriarum, & ſpecierum; idque contra D. Thomam virum alioqui omnium quos tulit Italia doctiſſimum tuetur Ioannes Duns Scotus, ex cuius aſſeclis ea de re legendus eſt Ant. And. q. 4. in quartum lib. Met. atque hinc alter detegitur eiuſdem D. Thomæ error lect. prima, in primum lib. Met. quo ut ſcientiam ſubiecta re abſtrahat à materia, in externam ſolam ſeparationem reſpicit, haud intuitus gregariorum ſe conſuetudinem ſequi, cum frumenti grana ab hordei granis cribro eliciunt; eademque ut ſecundum rationem abſtrahat in contemplantis cogitationem intentam mentem habet, quaſi vero recte quis in dicendo Ariſtotelis conſuetudinem imitaretur; qui colorem & odorem cogitatione ſolum, & non etiam re ſeparari aſſereret, quòd re ipſa, niſi per mẽtis cogitationem, nunquam diſiungantur, accidentaria illa, qua mutuo innectuntur, conglutinatione; Nos quoque fateor ſcientiarum ſubiecta pro diuerſis intelligentiæ noſtræ in contemplando gradibus diſiungimus; ſed ea ſic accepta mordicus defendimus ratione, & natura minime differre; eſſeque exemplo poſſunt diuerſi colores, qui ut ſub aſpectum cadere poſſunt, diuerſi minime cenſentur.

Quarta aſſertio ſit, eſſe rerum naturalium à forma profectum immobile exiſtere: quia motus eſt actus entis

in

in potentia quatenus in potentia, esse uero formale quatenus huiusmodi est, merum actum significat; ut omittã idem quia primum est in unaquaque re naturali, cum ratione dici posse motum & mutationem omnem præcedere; idem perspicuum est ex bonorum auctorum loquendi cõsuetudine, præsertimque Aristotelis, cuius nos sententiam, hac in re disquirimus: cum enim Plato lato motum acciperet significato, vt manifestũ est ex decimo de legibus, vbi ponit primum omniũ motuum eum esse, quo quid seipsum mouet; atque hanc omnium antiquissimam potentissimamque esse mutationem; secundam uero illam, qua quid ab alio mutatur, & alia mouet, ex ijsdemque concludit idem esse animam, & primam generationem, ac motum rerum quæ sunt, quæ fuerũt, quęq; futurę sunt, motusq; eius enumerat, uelle, cõsiderare, curare, consultare, recte & non recte opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere: hincque deducta est illa definitio, qua animus esse dicitur numerus seipsum mouens, cuius auctorem Xenocratem Platonis discipulum Cicero facit prima Tusculana; cum inquã latissima quadam ratione motus nomen Plato & Platonici interpretarentur, contractiori id significato acceptum est ab Aristotele, ab illis de industria (ut cũ rõne) dissentiret; illaq; proprie & p se moueri posse dixit, mobiliaq; esse vocitanda statuit, quæ & contraria & media, & contradictionem habent, vt scribitur lib. 5. Phys. tex. 6. quorum nullum enti formali certum est conuenire, quatenus actus est, siue potentiaq; aut coniuncta, aut præcedenti consideratur; quęve quatenus mouentur potentia sunt, ut decretum relinquitur tertio Phys. tex. 6. & sequentibus: at ens Physicum quatenus tale est, nemo negauerit totum aut actu

ſolo, aut potentia ſola dici; non enim intenſionem recipit & remiſſionem: hinc 5. lib. Phyſ. tex. 10. ſcribitur ſecundũ ſubſtantiam non eſſe motum, propterea qđ nihil ſit ſubſtantiæ contrarium, neque ſecundum relationem quod contingat altero mutationem pari ente vere dici alterũ nihil mutationis ſubire; textuq; 16. libri tertij mouetur inquit & mouet omne ſicut dictum eſt cum ſit potentia mobile, & cuius immobilitas quies eſt: cui enim motus ineſt, huic immobilitas quies eſt: nam ad hoc agere, quatenus huiuſmodi, idipſum mouere eſt, hoc autem facit tactu, quare ſimul & patitur: idcirco motus eſt actus mobilis quatenus mobile exiſtit, inter ſpeciesq; motus generatio & corruptio minime cenſentur, quę proprio magis vocabulo mutationes nominantur, quibus non ſubiectũ ſubeſt uere mobile; ſed materia ſubijcitur diuerſas ſubſtantię formas viciſſim recipiens; libroq; primo de anima cap. 3. tanquam ratum ſtatuitur animæ non poſſe motũ accidere, quæ tamen naturam videtur à motu habere alienam minus ente ipſo, de cuius ſimplicitate, & indiuidua ratione minus quàm animæ ab antiquis fuit dubitatum; libroque ſecundo Phyſicorum natura definitur principium motus & ſtatus in eo in quo eſt primo, per ſe, & non aduentitia quadam vi; ut nemo auderet motum adſcribere, cui naturam quoq; velut motus principium non illicò aſſignaret; cum tamen conſtet ens Phyſicum ipſum potius naturæ principium eſſe nominãdum, quàm naturam pro principio habeat; non eſt verò cur prolixius hac de re orationem protraham, quòd ſatis fuerit modũ indicaſſe, quo Ariſtoteles ſolet aliqua uel mobilia per ſe, vel immobilia eſſe decernere; cũ omni procul ambiguitate certum ſit illum in ens formale nõ poſſe conuenire;

ens autem intelligo quatenus ens, non quatenus aut calefactibile, aut alterabile est, alijsve motibus subijcitur, vt potentia est illa accidentia quibus motu afficitur.

Quinta assertio sit, haud posse esse formale recte, & ad vnguem intelligi, tametsi Physicum est, & rebus naturalibus coniunctum, sine aliqua de Deo & rebus diuinis cognitione: quod sic ostenditur, cum formã dicimus recens in actum educi, actus nomine haud quidpiã intelligimus de nouo productum, illi additum, quod ante potestate erat in materia; sed illud ipsum suffultum cunctis externis auxilijs, hoc est dispositionibus ad propriam naturam accommodatis; cum Mundiq; causis singulis ita colligatum, ut potens sit edere in lucem suas functiones: cum enim Aristoteles, ante eumque veteres omnes absurdũ dixerunt esse, aliquid fieri ex nihilo, quod sic cecinit primo lib. Lucretius.

Principium hinc &c.

Nullam rem è nihilo gigni diuinitus vnquam;
Nam si de nihilo fierent ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset, nil semine egeret.
E mare primum homines, è terra posset oriri
Squamigerum genus, & volucres; erumpere cælo
Armenta, atq; aliæ pecudes: genus omne ferarum
Incerto partu culta ac deserta tenerent.
Nec fructus ijdem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur; fere omnes omnia possent.
Quippe vbi non essent genitalia corpora cuiq;,
Qui posset mater rebus consistere certa?
At nunc seminibus quia certis quæq; creantur,
Inde enascitur atq; oras in luminibus exit,
Materies vbi inest cuiusq;, & corpora prima.

nis est, non rei; de rebusq; agitur nō de entibus rationis; tum quia communio in accidente cuiusmodi est relatio nulla putatur sine communi subiecto, quæ est substantia, cum neque idē accidens diuersis subiectis, neque diuersa accidentia eidem subiecto inesse possint; iterumque si eò confugias, aliquid entitatis absolutæ quæ est à forma, estque ipsa forma desumi à materia, quæ potestate esse omnia dicitur, quòd omnibus sui aliquid ad existendum impertiatur, minus tutus esse poteris: quoniam & esse & forma quæuis naturalis indiuisibilis est, sine quantitate considerata; & materia per formam existit, nō econuerso; & esse rerum naturalium omogeneum est, non eterogeneum ex diuersis partibus constans, actusq; quatenus actus nihil sui acceptum referre potest potentiæ, quatenus potentia est: actus igitur haud rem nouam significat nouiter genitam, sed rei eidē, quæ ante velut in materia latitabat, lucem, & claritatem addit, ut princeps propriarum actionum apparere, & esse possit, in materiaq; velut dominatione quadam uti, ad se cuncta & singula referēs, prout ijsdem diuersè opus habet, cum ante clam, & confusa, humiliterq; alijs immisceretur, nō me fugit plurimas huic sententiæ implicitas esse difficultates, maximeque ne eadem Anaxagoræ opinioni esse videatur, sed præterrem facerem, eas si hoc loco discuterem atque examinarem; excresceretq; in immensum oratio, cum satis videri possit probasse, ita rem se habere, ex ea dignitate argumento sumpto, qua cuncti semper vno ore fassi sunt ex nihilo nihil fieri. Nunc ad reliqua propositæ assertionis pergamus: id quod est primum in vnoquoque genere, mensura est & lex aliorum, quæ eo genere continentur, ut scribit Arist. seu id genus commune illis sit per analo-

 giam,

giam,ſeu per vniuocam rationem; eſſe formale eſt actus quidam, Deus extrema quadam,ſed veriſſima analogia puriſſimus, & ſimpliciſſimus actus appellatur, quòd per ſe ipſum ſine externis auxilijs immenſam uim habeat omnia præſtandi; præcipua colligatio & coagmentatio, cuius uirtute naturales formæ in actum educuntur ea eſt, quam habent cum prima cauſa, a qua primò & per ſe omnes colligationes pendent, quibus vniuerſitatis ordo concluditur, cum primis quidem actuum & exiſtentiarũ colligationes,poſt has aliæ; ac minime mentiretur is, qui ex Ariſtotelis ſentẽtia Deum ſolum, quem is puriſſimum iuxta & ſimpliciſſimum actum fecit, ſeipſo exiſtere, reliqua uero ente (ut ita dicam) mutuato;hinc ca. 3. primi libri Metaphyſicorum ſcribitur poſt hos autem, & huiuſmodi principia, tanquam non ſufficientia vt entium naturam generarent,rurſus ab ipſa veritate coacti illud, qđ ſequitur quæſiuerunt principium; ut enim entia bene ſe partim habeant,partim fiant,nec ignem fortaſſis,nec terram,nec aliud huiuſcemodi quippiã veriſimile eſt cauſam eſſe, nec illos veriſimile eſt arbitrari; nec rurſus caſui & fortunæ tantam tribuere rem recte ſe habet: quare qui vt in animantibus, ita in Natura intellectũ ineſſe cauſam mundi totius ordinis dixerat, quaſi ſobrius comparatus ad antiquos vana dicentes apparuit.& lib. Met. 12.tex. 1. ſpeculatio nobis de ſubſtantia eſt,ſi quidem ſubſtantiarũ principia & cauſæ quæruntur:etenim ſiue ut totũ aliquid uniuerſum eſt,ſubſtãtia prima pars eſt; ſiue ex cõſequẽti, hoc quoque modo primum eſt ſubſtantia, deinde quale, poſtea quantum &c.& textibus 19.& 30.& ſequentibus propter perpetuitatem motus,tẽporis, & ſubſtantiarum corruptibilium demonſtrat neceſſario opus eſſe primo

quodam mouēte, qui sit purus actus, textuque 42. Deum uocat principium, & primum entium, tum per se, tum per accidens immobile. & tex. 52. perscrutandum etiam hoc quonam modo natura vniuersi habeat ipsum bonum, & ipsum optimum, utrum separatum quiddam, & ipsum an per se, an ipso ordine, an utroque modo, quemadmodum exercitus: etenim bene esse eius in ordine, & dux ipse est, ac magis ipse: non enim ipse propter ordinē, uerùm ordo propter ipsum est; cuncta autem ordinata sunt quodam modo, uerum non similiter & natantia, & volatilia & plantæ &c. ex his omnibus locis certissimum argumentum elicitur ad nostram sententiā probandum, quia bonum conuertitur cum actu, potentiaque cum malo retro commeat, propterea scribitur primo lib. Phy. materiam semper meditari maleficium, quod nimirum sit pura potentia idem colligitur ex disertis uerbis, quæ leguntur lib. 11. cap. 2. hunc in modum; quod si tale concedatur, quomodo sub principio æterno continebuntur substantiæ corruptibiles? atque hunc esse Aristotelis morem patet ex 8. li. Physicorum, in quo necessarium habuit loqui de primo motore immobili ad absoluendam disputationem de motu: cur igitur ad perficiēdam orationem de actu formarum naturalium, non sit opus instituere disputationem de primo actu, qui Deus est? in qua re mirifice Aristoteles Platonem præceptorē suum per æmulationem fortasse fuit imitatus: nam ut scribit Alcinous libello de doctrina Platonis is Physica cum diuinis coniungebat, illaque ex Deo repetebat, & ad Deum referebat, & Socrates in Phœdone Anaxagoræ Physicā reprehendit, quòd in ijs explicandis Anaxagoras animum ad causas diuinas minime intenderit; idemque in septimo

pedire, vt de Deo ꝓpria sciẽtia instituerẽt, pręter illa quæ in diligenti tractatione de rebus Physicis de ipso exponuntur: Vocatur igitur hæc facultas sapientia, primaque scientia ob rationes ante expositas; Theologia vero dicitur, quòd mẽtem in Dei cognitionem maxime eleuet, tametsi de Deo, vt subiecto genere, aut subiecti parte minime habeat orationẽ; secus enim Metaphysicæ facultati scientiam quæ de anima est; minime præposuisset initio primi libri de anima, vbi vniuerse pronunciauit eam quę de anima agit, vniuersas alias scientias nobilitate, & præstantia subiecti antei re: communione tamen, generaliq; ratione Metaphysicam constat præstare scientijs alijs, ijsdemque comparatam principem dignitatis locum tenere; quod sic demonstratur: Accidentis esse est inesse, Mathematicæ agunt de accidentibus, non de substantia vt inaniter contra expressam Arist. sententiam in 12. lib. Met. censuit Ioannes Duns Scotus; cognitio igitur eorũ quæ sub scientias Mathematicas cadunt, pendent ab exacta entis Physici cognitione, & à principijs ex eo ductis: quoniam verissimum est quod alio loco ab Aristotele scribitur rem vt se habet ad esse, ita se habere ad cognosci, atque ob id vt substantia, fundamentum est, cui accidentia uniuersa innituntur; ita scientia quæ de illa accurata habetur, fundamẽtum existit omnium scientiarum, quæ versantur circa accidentia: Physicam vero ipsam, & moralem Philosophiam, ac factiuas artes, quæ à Physica ortum habent, magnam habere opem sitam in Metaphysicorum cognitione; quæ de ijsdem rebus agunt, de quibus in Physicis agitur, clarius est, quam vlla egeat ꝓbatione; quæ causa fuit Aristoteli toties diuersis in locis illud enunciatum proferendi de ijsdem agere; primum

Philo-

Philosophum, Dialecticum, & Sophistã; quòd ea scilicet de quibus primus philosophus orationem habet, primò quidem & per se solis substantijs quadrent, at per analogicam communionem vniuersis post substantiam prædicamentis conueniant: potuit ergo Arist. hanc scientiam verissime appellare sapientiam de vniuersalissimis, & de maxime primis: esse enim in unaquaque re est primum; ac præterea de immobilibus, de separatis re & ratione à materia, de Deo & rebus diuinis, de communissimis attributis, ac de rerum omnium principijs; ipsamque cum Physica scientia eandem nihilominus putare.

Septima assertio est his Metaphysicorum libris ex professo susceptam ab Aristotele esse tractationẽ de substantiæ illius attributis, quę cum natura, tum materia con stare dicitur; quod ita uerum esse ostenditur uelut in multas partes diuisa conclusione, scribitur lib. 4. text. 1. lib. 6. text. item primo, & lib. 11. c. 6. hac scientia ens cõsiderari, quatenus ens est, sumptumque est ens analogice, hoc est primo quidem, & per se, ac proprie pro substãtia, deinde pro accidentibus, quæ quod existant, substantiæ acceptũ referunt. id manifestum est illis verbis in lib. 4. tex. 2. quẽadmodum omne sanum ad sanitatem re, ita ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad vnum principiũ: quædam enim; quoniam substantiæ, entia dicuntur; quædam quoniam passiones substantiæ; quædam, quoniam viæ ad substantiam aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua substantię, siue eorum, quæ ad substantiã dicuntur re. ac paulò post; patet itaq; vnius esse scientiæ entia prout entia speculari, vbique autem proprie primi & ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur scientia; quod si hoc substantia est,

oportet

oportet profectò vt substantiarum principia, & causas Philosophus habeat; & lib. 3. text. 3. sapientia est, quæ tractat de ipso fine & bono; & de substantia quid sit, non quanta, aut qualis sit, & lib. 7. text. 4. quod primo est ens, & non aliquod ens: sed simpliciter ens, est substantia, & text. 5. quòd quoque tam olim, quàm nunc & semper quæritur, semperque dubitatur, quidnam ipsum ens sit, hoc est, quænam substantia est; hoc enim quidam aiunt unum esse; quidam plura quàm unum; & quidam finita, quidam uero infinita; quare nobis quoque maxime & primum, & solum (vt ita dicam) de ente hoc pacto, quidnam sit speculandum est, & text. 44. cum autem de substantia consideratio sit, rursus redeamus &c. Perspicuum uero est Aristotelem substantiæ nomine primum ex illis decem prædicamentum intelligere, quod est mere Physicum, constatq; materia & forma: illud manifestum euadit ex 5. lib. c. 7. lib. 6. c. 2. tex. 4. lib. 7. text. 1. & lib. 9. text. item primò, vbi ens per se quod est subiectum analogum huius facultatis immediate diuidit in decẽ prædicamenta, atque ex lib. 8. textu 15. vbi disertis verbis scribitur, ens & vnum quæ neque sensibilem, neque intelligibilem materiam habet, statim esse vnum aliquid ex decem prædicamentis: assumpti posterior pars, substantiæ nimirum prædicamento excludi separatas intelligentias, solas q; contineri res naturales & ipsa certa ac rata est; ex lib. 3. text. 12. cuius hæc uerba sunt, si materia est proptereaq; ingenita est, multo magis rationabile est, ipsam substantiam esse, cum illa existat, ut hæc sit: si enim neque hæc erit, nec illa, nihil erit omnino; ipsius autem substantiæ vocabulo nemo ambigit compositum naturale significare, quod haud vocaret simpliciter substantiam, si putauis-

H set

ſet ſubſtantiarum cathegoria alias concludi, quàm naturales; idem elicitur ex lib. 7. text. 7. 8. & 9. in quibus Ariſtoteles ſubſtantiam, quam Metaphyſicorum ſubiectum genus eſſe dixerat, diuidit in materiam, formam, & compoſitum, atque in genera & ſpecies, quorum membrorũ nullo clauditur Deus, aut intelligentiæ ſeparatæ, atq; ex tex. 44. eiuſdem libri cuius hæc eſt ſententia; cum autem de ſubſtantia conſideratio ſit; rurſus redeamus, dicitur autem ſicut ſubiectum ſubſtantia eſſe, & quod quid erat eſſe, & quod ex his, & vniuerſale, eandem naturalem ſubſtantiam entis & unius communi nomine appellauit lib. 3. text. 16. ijs verbis, Plato namque ac Pythagorici non eſſe aliud quid ipſum ens, nec ipſum vnum aiebant, ſed hoc eorum naturam eſſe, tanquam ſubſtantia idem unũ & ens eſſet: qui autem de natura tractarunt, ut Empedocles tanquam in magis cognitum reducens dicit, quòd vnum eſt ens; videri namque poſſit dicere hoc amicitiam eſſe; cauſa enim omnibus hæc eſt vt unum ſint; alij uero ignem, alij aerem aiunt ipſum unum & ipſum ens eſſe; ex quo entia & facta eſſe; ſimiliter & qui plura elementa ponunt; neceſſe enim & his eſt tot eſſe dicere ipſum ens & unum, quot aiunt principia eſſe; accidit autem, quòd ſi quis non ponat eſſe aliquam ſubſtantiam ipſum unum & ipſum ens, nec aliorum uniuerſalium quicquam eſſe; hęc enim uniuerſalia maxime omniũ ſunt, hæc eo loco Ariſt. quibus reſpondebit aliquis illum non ex ſua ſed ex aliorũ opinione (ueterũ ſcilicet) de ente & uno diſputare, quod nos minime diffitemur; at ex communi loquendi conſuetudine, qua ueteres utebantur, declarationem colligo Ariſtotelicæ orationis, quam uerosimile eſt ipſum ad illius legem accommodaſſe, cum præſertim id nõ obſcure

colli-

colligatur ex alijs multis locis, quibus exploratū est Aristotelem ex sensu proprio philosophari ut ex text. 8. libri sexti, quod inquit mens diuidit aut est quid, aut quantum re; atqui eadem solemus proloqui, quæ animo cōceperamus, cum voces signa & notæ sint animi passionū; si nihil fuerit igitur animo conceptum quod ad aliquam ex illis decem cathegorijs non illico referatur, quibus res solas naturales concludi compertum est, vocibus enim huiusmodi communi & generali præditis significato res solas naturales declarari Aristotelea consuetudine, certū quoque fuerit ex cap. 4. primi libri ubi existentium appellatione simplici, & vniuersa res naturales intellexit ijs verbis, de motu uero unde, & quo modo existentibus inest, & hi perinde atque alij per negligentiā omiserunt. Quid modum proferam quo formam naturalem solet Aristoteles definire id quod dat esse rei? ea etenim nisi entis nomine, naturale solum significetur; imperfecta est vtpote de definito non exponens nisi communissimū & generalissimum attributum; aut falsa; quia pro effectu formæ statueret id cuius alij formam partem ac ueluti speciem faciunt; cum ens, nimirum substantia, quemadmodum ante à me commemorabatur in formam, materiam, & compositum dispescatur, qua re nedum vetustimorum Physicorum, sed etiam Platonis in loquendo videri potuit Arist. diligentissimus imitator; illorum inquam, quòd rebus naturalibus duntaxat assueti nullam diuinarum rerum consequuti notitiam fuissent; huius uero quòd supra omne ens, supra omnem essentiam, supra omnem substantiam, supra omnem intellectum, & supra omne intelligibile Deum collocaret ut ex Plotino cōstat lib. 6. quintæ Eneadis; & ex ijs, quæ ante diximus Pla-

-tonicorum sententia nullis affirmationibus Deo quidpiam posse significari, ita bene ut negationibus; & ex Platone ipso in fine sexti de repub. in quo sic Socrates cum Glaucone loquens inducitur. Soc. illud quod veritatem illis, quæ intelliguntur, præbet, & intelligenti vim ad intelligendum porrigit, boni idem esse dicito, scientię, & veritatis quæ per intellectum percipitur causam; cum uero adeò pulchra duo hæc sint cognitio scilicet ac veritas, si bonum ipsum aliud quàm ista, & pulchrius existimabis, recte putabis; & quemadmodum lumen, ac visum, solis speciem habere existimare decet, solem uerò ipsum esse, nequaquam, ita cognitionem & ueritatem boni ipsius speciem quidẽ habere aliquam, esse vero ipsum minime; augustior enim est ipsius boni maiestas. Gl. decus narras inæstimabile; si scientiam quidem, & ueritatem præbet, ipsum uero decore hæc superat; neque enim uoluptatem ipsum esse dicis. Soc. bona uerba quæso, atq; ita planius eius imaginem contemplare. Gl. quomodo? Soc. solem quidem dices ut arbitror ijs quæ uidentur nõ modo videndi præbere potentiam, uerum etiam generationem, augmentum, nutritionem, cũ ipse tamen generatio non sit. Gl. quo enim pacto? Soc. atque ita dicas bonum ijs, quæ cognoscuntur dare non modo ut cognoscantur, sed esse insuper, & essentiam elargiri, cum ipsum essentiã non sit, sed supra essentiam dignitate ipsam, & potentia superans. hæc Plato. recte igitur Auerroes septimum librum Met. exponens entis nomen, concretam vocem esse arbitratur; id enim cum Aristoteli, tum Platoni consentaneum est, qui entis uocabulo res duntaxat compositas, ac uelut concretione quadam ex pluribus iunctas significari uoluerunt. Obijciet autem aliquis Deum qui-

dem

dem opt. Max. ex Aristotelis opinione à substantiarum communi serie arceri; cum ob locos antè citatos tum ob text. tertium tertij libri Physicorum in quo, cum ut Alexander ac Themistius interpretantur ens in illud quod est actu, & in illud quod actu simul est, & potentia distinxisset, rursus hoc postremum in decem prædicamenta dispescuit; at non intelligentias, quas præter plurimorũ Peripateticorum authoritatem, sequentibus etiam ex locis uideri posse Aristotelis sententia non prohiberi substantiæ prædicamento primum ex text. 13. primi libri Phys. in quo Parmanidis hæresim de ente & uno Aristoteles expugnans ita ratiocinatur, si est unum, ergo est in aliquo prædicamentorum? ubi dubium non est communem & vniuersalem de ente haberi orationem, ac ob id vnius uocabulo concludi intelligentias quoque, easdémque cathegoria contineri. deinde ex text. 5. 12. Met. in quo substantiam prædicamentalem in eam, quæ sensilis est diuidit, & in eam, quæ minime est sensilis; at nullam extare insensilem substantiam, nisi corporis quoque expertem, cuiusmodi est separata intelligentia: & demum ex 5. Met. text. 15. 7. Met. text. 5. & 8. Met. tex. primo quibus locis corpora ab omni detrimento corruptionis immunia cœlum, astra, Solem, & Lunam in substantiæ prędicamento collocat, ac præterea Dæmonia quæ certum est corpore carere, in æternitate viuere, communem cũ rebus Physicis materiam non habere, ad separatasque intelligentias referri: quibus nos ita respõdemus. ex tex. 13. primi libri Phys. contra citius fuisse colligendum, entis nimirum & unius generalissimas uoces solas res naturales significare ex totius antiquitatis opinione; non abstractas & immateriales mentes; quoniam text. 12.

proxime

proxime antecedenti diſertis verbis Ariſt. dixerat de natura ſola, & rebus naturalibus ueteres illos Philoſophos orationem habuiſſe: ſic enim is textus habet; ſed quoniã de natura quidem non autem naturales dubitationes cõtingit dicere ipſos, forſitan quidẽ bene ſe habet aliquantulum diſputare de ipſis; habet enim philoſophiam hæc conſideratio, ac illico in Parmenidẽ inuehitur; quo loco obſeruandum eſt non naturales dubitationes appellari, quæ naturali ueritati diſſentiunt: eſt autem ſimillimum uero iiſdem ſignificatis ens & unum Ariſtotelẽ accepiſſe, quibus ea antiqui Philoſophi acceperant: contraque ſi cẽſuiſſet; ex proprio ſenſu illarum uocum ſignificationes expoſuiſſet; ex text. 5. 12. Met. minus etiam quod aduerſarij putant, concludi poteſt, quoniam ut mox dicetur, inſenſilium ſubſtantiarum nomenclatura cum ideas Platonis Pythagoricorumque numeros plerumque Ariſt. intellexit, tum etiam ſecundas ſubſtantias Phyſicas, genera inquam, & ſpecies; reliqui loci, qui adducebãtur bipartiti ſunt, de cœlo enim & Dæmonijs diſputationem continent num cathegoriæ finibus contineantur, tametſi in eo ſimul conueniunt omnes, ut ſentẽtiam illam euertere & labefactare uideantur text. 26. decimi libri Metaphyſ. qua dicitur corruptibile & incorruptibile genere differre; atque item illam, quæ legitur in lib. 11. tex. 12. genere differre, quorum non eſt communis materia, neque mutua generatio, vtpote quorum alia prædicationis figura ſit: quam difficultatem ita tollimus, noſtram opinionem haud inniti his duobus locis, quorum primi ſenſus eſt, res, quæ eo ſolum differrũt, quòd altera corruptibilis eſt, incorruptibilis altera, quo diſcrimine res naturales ab ipſarum ideis Plato ſeiungebat; haud poſſe eodẽm contineri

tineri proximo genere; minusq; eiusdem speciei naturā possidere; cuius sententiæ hæc ab Aristotele ratio redditur, contrariorum alia, quibusdam per accidens competunt; idem enim albus, & niger non simul erit; alia impossibile est illo competere modo, quorum de numero corruptibile est ipsum, atque incorruptibile: non est enim corruptibile quicquam per accidens; etenim ipsum quidem accidens potest non esse; corruptibile autem de numero est eorum, quæ hisce, quibus competūt necessario insunt; vel idem & vnum corruptibile, atque incorruptibile erit; si fieri potest vt corruptibile ipsi non insit; ipsum ergo corruptibile, aut substantiam esse cuiq; corruptibilium, aut in substantia esse necesse est; eadem est profectò & de incorruptibile ratio, ambo enim ex hisce sunt omnino, quæ necessariò competunt, quo ergò, & ratione, qua primò aliud est corruptibile, aliud incorruptibile, hoc oppositionem habent; quare necesse est diuersa genere esse, quæ cum ita sint, patet fieri non posse, ut tales sint formæ, quales quidam inquiunt esse: homo enim alius corruptibilis, alius incorruptibilis erit; & tamen ipsæ formæ, & hæc eiusdem esse speciei dicuntur, & non diuersas rationes subire; ea uero, quæ genere sunt diuersa, plus distant, quàm ea quæ specie sunt diuersa; hæc Ar. in fine decimi lib. Met. quorum sensus est non posse id quod corruptibile est, & id quod est incorruptibile magis proxima essentiæ ratione conuenire, quàm ea, quæ tanquam corruptibile & incorruptibile distinguuntur; secus enim fore, ut ea communis ratio, in qua conueniūt & corruptibilis & incorruptibilis esse possit secundum substantiam; cum superioris ordinis attributa ad essentiā spectent illorum quæ ipsis subijciuntur: quis enim cœlos

naturæ.

naturæ incorruptibilis differentia à rebus caducis proxime sub substãtia disiunctos; alterius rursus cum ijs naturæ communionem subire posse existimet? Secundi uerò loci sensus est eorum quę decem generibus continentur; quæcunque diuersæ prorsus mutationis, termini sunt in diuersa materia subiecta, necessarium esse ut prædicamenti quoque figura discindantur; quod nobiscum probabit, qui Aristotelis contextum sedulo expenderit; dicuntur autem diuersę mutationes à diuersa materia exceptæ, vt ortus & interitus à materia prima; alteratio, latio, & auctio a subiecto, quod est composita substantia; quarum ut uarium est quod utrobique subijcitur, ita uarios quoque esse conuenit fines, quibus eæ clauduntur, formam nimirum & priuationem; tritum enim est quod scribitur cap. 5. lib. 12. Met. eadem quodammodo (hoc est analogice) videri substantiæ, & reliquarum cathegoriarũ principia, materiam inquam, priuationem & formam; vt stultum sit quod de materia scribitur ijs contextibus, de prima materia, quæ pars quædam est substantiæ confestim interpretari, ut vulgo faciunt. Haud igitur duorum illorum locorum authoritate sententiam nostram constabilimus; sed aliorum, quos hactenus commemoraui; quibus nec omnes complecti potui opinioni meæ fauentes; quòd nequeant singula cum est animus in memoriam reuocari; non permittam tamen ut locum omittam, qui in substantiæ prædicamento legitur; substantiæ maxime proprium esse ut contraria suscipere inuicẽ possit, cumq; maxime proprium definiatur quod cunctis, semper, & per se conuenit; num separatæ intelligentiæ cathegoria non explodentur, cum expertem omnis contrarietatis naturam habeant? eædem cum materia, forma, & priua-

tioni careant, num prędicamentorum ordinibus adſcribi poterunt, quorum omnium ut ex c.5. 12. Met. mox dicebamus communia ſunt tria illa principia? Quod uero ad cœlos attinet, nihil mihi uideo præſenti in loco de ijs neceſſario eſſe ſtatuendum an cathegoria contineantur; quod quouis modo exiſtimetur, noſtra de Ariſtotelis in his libris inſtituto ſententia minime infringatur, cum naturalium rerum limites ij minime excedant, quocumque modo accipiantur, nobisque ſatis, ſuperque uideri poſſit oſtendiſſe, nihil prædicamentis contineri, quod ſupra naturam exiſtat; ſi tamen lubet aliquid nos de cœlorum natura philoſophantes audire, nullis cenſemus argumentis euinci poſſe diuerſam cœlos à quatuor elementis ſimul commixtis naturam poſſidere; quod enim de eorum obijciunt incorruptibilitate, id nihil eſt, quoniam elementa quoque ſecundum partes corrumpuntur, cum tamen ipſa tota ſemper incorrupta maneant; vt enim exiquæ cœlis viciſſim additæ, & detractæ portiones notari poſſent, cum terræ quod minimum corpus eſt perfectæ rotunditati nullo ſint impedimento plurimi, qui nobis uaſtiſſimi uidentur montes? illud maiori eſt argumento cœlum ex elementis coaleſcere non potuiſſe, quoniam ijs comparatum, maximam præ ſe fert magnitudinis molem totis quatuor vt ſunt in proprijs locis coniunctim ſumptis elementis infinitis partibus maiorem; verum neque id euincit, quia ea cœli mixtio eſſe perpetuò potuit ex elementis conflata, non aliunde ad compoſitionem exportatis, ſed in cœlo ab omni æternitate ſimul concretis, & coagmentatis; velut etiam in hominibus ab Ariſtotele ponuntur, & reliquis ex elementis compoſitis rebus; minus autem concludit orbicularis motus natura, quo-

niam cum negari poteſt ſemplicem eſſe, cum contra uideatur ſi motis qui ſurſum eſt,& qui deorſum fert æqualibus portionibus contemperentur,non aliã ex ijs,quàm circularem lationem reſultaturã; in qua multiplex ſimul motús reperiatur,antè, ponè, ſurſum, deorſum, retractionisque & repulſionis; experimẽto enim compertum eſſe idem omnium ſurſum, & deorſum contrarijs guttis perculſum,neutro recto motu,ſed in orbem ferri, ut etiã fluctus contrarijs ventis actos,& ventos ipſos cum in turbinem coguntur:hinc nullam rectam lineam circulo tangere,niſi in puncto,quod pars nunquam ęquare poſſit totum; contrarijsque lineis obliquè incuruatis circulum conſtare; contrarijs inquam & multis vel per ſe,uel affectione;triangulum certe,quod diuerſis lineis rectis componitur ſimpliciórem circulo figuram uideri, cum in ipſum aliæ figuræ omnes poſtremò diſſoluantur; in circulũ nunquam; ac lineam contortam in rectam reſolui, non è conuerſo; itemque ſi circuli à centro conſtitutio perpendatur,ex pyramidibus coagmentatum uideri;neque vero obijciat aliquis, ſi cœleſtis motus ex rectis cõtrarijs conſtet, non ſupra elementa,ſed in medio elementorum naturalem cœli locum futurum, quoniam haud impoſſibile puto ſupra cœlos omnes proprium ignis locum inueniri; cœlumq; mediũ inter elementa locum occupare. De Dæmonijs magna ſeſe mihi quæſtio obijcit, num ea Ariſt. ſubſtantiæ prædicamento incluſerit; atque vt ſummus ille Philoſophus de Dæmonijs ſenſerit,corporeaque fecerit, an corporis expertia; conſtat ex eo Metaphyſicorum quinti libri loco certi nihil concludi poſſe; quòd Ariſtotelis conſuetudo ſit in exemplis commemorandis aliorum ſectari opinionem; quod cum ab Alexandro in

eius

eius loci interpretatione, à Simplicioq; & Themistio sæpissime dicitur, tum res ipsa studiosum quemuis Aristotele legendo monere potest; atq; ne discedam à re proposita adscribit Arist. primo Ethicorum cap. 6. & primo Eudemiorum cap. quinto. Deum exempli causa in reliquarum substantiarum numerum, quæ cathegoria cõtinentur; quem tamen constat eiusdem sententia cathegoriarum omnium cancellos egredi, ut à nobis fuit demonstratum: haud tamen præter rem fuerit de Dæmoniorũ existentia Aristotelis opinionem inuestigare, ut compertum sit, an ea naturalium rerum serie contineantur, quæ Physicis libris exponũtur. Existimãt aliqui ab Aristotele Dæmones creditos fuisse, eosque corporeos, sequentiũ adducti locorum authoritate secundo de anima: nonnullis animalibus uis inest progrediendi, nonnullis ratiocinandi, & mens, ut hominibus, & si quid aliud est eiusmodi, aut etiam homine diuinius, ac deinde eodem libro; extrema atque minima ratiocinationem habent & mentẽ; quibus enim mortalium inest ratiocinatio, his etiã insunt cœtera; ubi aiunt ab illo adiectum esse (mortalium) quòd in Dæmonijs immortalibus ratiocinandi vim sine inferioribus animi facultatibus videretur agnoscere; uocasse autem immortalia, non quòd reipsa mortis expertia sint, cum constent elementis, sed ex vulgi opinione, quod supra hominem omnia, immortalia, diuinaque existimat: neque vero his duobus locis de intelligentijs orationem haberi posse, quòd vt acutè edisserit Iulius Cæsar Scaliger eæ haud νοῦν habere dicantur, sed vnaquæque sit νοῦς, minimèque ratiocinentur: quia præsentes intuentur causas, cum ipsis effectibus: minus uero simile est de cœlis Aristotelem loqui, ut censet Bessario Cardin. li. 2. c. 4. aduer-

sus calumniatorem Platonis, quòd cœlis intelligendi & ratiocinandi functiones tribuere nouum sit,& inauditũ, in Aristotelis doctrina; similis illis duobus locus est in libro de præsensione per somnum, qui sic habet; omnino somnia, quoniam in alijs etiam quibusdam animantibus videntur;à Deo non mittuntur, nec ad eum finem nobis mittuntur;sunt tamen δαιμόνια; si quidem natura δαιμονία, non diuina est.quamquam ut verum ingenue fatear, nihil habet sic locus firmamenti ad probandum Dæmones esse ex Aristotelis opinione,sensus enim est,somnia, quibus sæpe homines futura vaticinantur, non ob externi numinis afflatu, sed à propria humani animi natura, certaque corporis temperiè humore melancholico calente affecti proficisci,quæ Dæmonia est,hoc est, quæ ea efficit, quorum alij Dęmones authores faciunt;quod colligitur ex trigesima sectione problem.probl.primo,ubi multi inquit,propterea qđ ille calor sedi mẽtis in vicino est,morbis væsaniæ implicantur, aut instinctu symphatico efferuescunt,ex quo Sybillę efficiũtur & Bachę, & omnes,qui diuino spiraculo instigari dicuntur; cum scilicet id non morbo,sed naturali intemperiè accidit:Maracus ciuis Syracusanus Poeta etiam præstãtior erat; dum mente alienaretur &c.loquitur autem Arist.de atræ bilis humore, qui ob sui crassitiem plus cæteris humoribus incalescens mentem corripit, & in excessum quendam naturalium functionum deducit; quo dicit præstare, (tametsi ab eo excedatur aliqua ex parte,ea nimirum, qua cum primis mens commota est) illorum constitutionem; qui eundẽ melancholicum homorem mediocri calore suffusum habent; quo ex loco perspicuè cernitur, si modum illum loquendi obserues(ex quo sybillæ efficiuntur &c.)eundem

Aristo-

Aristotelem cum in primo Eudem.ca. 1. ea uerba scripsit (aut nullo quidem horum modorum, sed aut Dei alicuius afflatu; quod fanatico furore correptis, aut numine instinctis accidit, aut fortuna re) sese aut ad vulgi opinionem accommodasse, aut cautè receptam illis temporibus opinionem derisisse; ex proprio denique sensu minime philosophatum fuisse; quod si hic admittatur, ut necessariò est admittendum; & in illis duobus locis secundi libri de anima; & in c. 20. lib. tertij de historia anim. & in ca. 24. lib. 8. & in capite primo libri noni, in quibus aut de osten tis, aut de responsis, aut de incantationibus mentio fit idem debet pariter admitti. Nihil scilicet in homine tàm mirum aut tam præter eius naturam videri posse ex Aristotelis opinione; quod ad vim ab externo numine aut infusam aut afflatam necessario sit referendum, potiusquàm ad propriam hominis aut animi, qui homini inest, constitutionem; ac uoces illas, aut Græcas, aut Hebraicas, & externas denique, quas plerique Dęmoniaci vbertim effundunt, tametsi eas nunquam didicerunt, non minus à mentis excitatione proficisci Arist. diceret per humoris alicuius intus inclusi agitationem; quàm rerum futurarum præsensionem: quid enim magis humani arbitrij videri posse iudicatione ipsa de rebus futuris, quàm qui artis & prudentiæ regulis faciunt, humani ingenij rationem in prædicando ordinariam sequuti multorum dierum tempore ad ratiocinādum opus habent, signaq; & coniecturas non minus incertas, quàm leues cōsectantur, ex ijs vt rei futuræ prædictionem colligant? quòd si eadem, quamquam vt plurimum artis discurrentisque rationis per minutissima quæq; opera & beneficio fit, simplici tamen diuinatione perficitur à mentis furore

naturali

naturali profecta, cur voces quæ etiam ipſæ ex humano videntur prorſus pendere inſtituto, naturali proprietate, &commotione nequeant in humana mente excitari, tametſi nunquam ante perceptæ fuerant, & auditæ? quis neſcit ſecus definiri humanum arbitrium ab Ariſtotele, quàm à nobis? nos voluntatem aut rationem ita liberam ſtatuimus, quòd ſibi ipſa relicta, obiectis quibuſcumque præſentibus, ipſamque velut irritantibus, per ſe poſſit ut libitum eſt. vel uolendo, vel nolendo eligere; aut etiam decernendi munus prorſus recuſare; at id negaretur ab Ariſtotele; quòd ſuæ philoſophiæ principia ſequutus minime perceperit, quemadmodum mera potẽtia ſeipſam educeret in actum efficienter, ac non modo id præſtaret, ſed etiam determinaret hunc potius, quàm illum actum ſibi educendum: eſtque nihil aliud Ariſtoteli hominis arbitrium, quàm facultas rem quamuis aut eligendi, aut reſpuendi, aut etiam, ſi videbitur, neutrũ agendi, proprio velut propoſito ſuſpenſo, atq; ad aliud tempus prorogato: non quòd ipſa facultas ſibi ipſa ſit ſatis, & ſola efficiẽs cauſa ad decernendum; ſed quòd varijs ſemper & varie impreſſis rebus obiectis afficiatur, quæ ſe fluctuum & clauorum inſtar inuicem trudunt, & detrudunt; ita ut nihil tàm fixum hærere poſſit in uoluntatis aut rationis propoſito, quod inde per contrariæ recens impreſſæ rei affectionem non facile abigi & expelli poſſit; ut libertas potentia ſit aut prorſus paſſiua, aut actiua quidem, ſed concomitans & determinata; obiectorum fluxu mutuo & refluxu varie ducta; at ſi ita ſe res habet ſecundũ Ariſtotelis opinionem in humanæ voluntatis arbitrio, quis impoſſibile putet ex eiuſdem ſententia inter voces ſignificantes, cuiuſcunq; ſint idiomatis, quãdoquidem exter-

ne &

ne & foris se se in humanę mentis institutum ingesserunt ordinem aliquem naturalem, determinatum, & occulte necessarium reperiri? fortuito, & casu edantur; num causa quæuis per accidens ad aliquā causam per se non semper refertur ex Aristotelis opinione? num rerum fortuitarum fortuitus ordo, essentiali alicui & constanti rerum ordini non semper innititur? ex eoque vt inanes & lasciuientes ex vitæ palmites proficiscitur? at nemo absurdum unquam putauit, id quod natura, & determinate fit; tametsi plerumque plurimarum causarum multo tempore coniuncto concursu fiat; breuissime solius alicuius causæ in posse item fieri; cuius rei luculenta extant in natura exempla; possunt ergo ex Aristotelis dogmate, quæ uoces longissimis temporum interuallis aut Græce, aut Latine, aut Hebraice, aut Syriace discuntur, breuissimo temporis spacio, naturali intus causa in animo excitari, qui latente & occulta virtute præstare potest, quæcunque ab inferioribus eo causis fiunt; sic se habente rerum naturali serie, vt quemadmodum quadrato triangulum continetur, ita superioris classis rebus id omne includatur, quod ad rerum inferioris ordinis species uidetur pertinere. Tametsi uero ex ijs, quę in hominibus quocumq; etiam mirifico & inusitato modo cernuntur noluit Aristoteles argumenti occasionum sumere, quo crederet Dæmones aliquos corporeos extare, vereor tamen ut aliunde summi ratio possit ad corporeorum Dęmoniorum demonstrationem, præter ea, quæ corpore carent; ab ipsius nimirum Naturæ opulentia, quæ omnia ex omnibus quibus rite potuit fabricata est, specierumq; scalas expleuit ita, vt nulli in ijs desiderari gradus possint; atque à spiritu nostris corporibus Aethereo incluso, qui

consti-

cõſtitutionis dignitate reliquas humani corporis partes, quę craſſiorem & terreſtrem compaginem habent, facile vincit; alienumque à ratione videatur, quod præſtantiorem proprietatem habet, alterius aut partem aut inſtrumentum eſſe quod deterius eſt; ipſumque propriæ & ſeparatæ naturæ perfectam ſpeciem non conſtituere; neq; vero vlla vrgeor neceſſaria ratione, ob quam in mixtis ex elemẽtis corporibus terram ſolam credatur, aut aquã quantitatis mole prædominari poſſe; ſed de re omnium maxima piget pauca dicere; prolixam autem de ea ſi texerem orationem, aliene agerẽ nimis à propoſito diſputationis inſtituto; quod ad Ariſtotelis ſentẽtiam attinet, audacter dico, nullos illum corpore præditos Dæmones credidiſſe, quod etiam probant ſequentes loci, præter eos, quos hactenus adduxi. in tertio de generat. animal. cap. 11. trium elementorum, terræ, aquæ, & aeris commoditatem ita diſpeſcuit Ariſt. ut naturã dixerit in terra ſatagere pro plantis, in aqua pro piſcibus, in aere pro pedeſtribus, quarti uero elemẽti, ignis nimirum vtilitatem diſtulit ad aliam diſquiſitionem, at quidquid de igne iudicetur, de quo nihil ab Ariſtotele ſtatuitur; certum eſt, ſi Dæmones extarent corpore præditi, ipſis quàm terreſtribus animalibus maiori vſui aerem fore, ut quæ naturam poſſiderent magis præſtantem; cum quicunque ex igne præualente compoſitos Dæmones dixerunt, eoſdẽ aereos quoque fecerint: in ſecundo de generat. animal. c. 3. diſertè ſcribitur, igne nullum animal generari, quòd calor, quo efficitur, ut ſemina fœcunda ſint, ad animaliũ generationem ſpumoſo corpore cõtineatur, proportioneque reſpondeat elemento ſtellarum, quod Ariſtotelis argumẽtum friuolum, & ridiculum deberet cuiq; videri,

nisi

nisi ignei caloris exuperantia naturali animâtium calori penitus aduersaretur; cum præsertim his verbis totius ratiocinationis finis concludatur (cæterum calorem in animalibus contentum nec ignem esse, neque ab igne originem ducere apertum ex his est.) quis enim naturalis animalium caloris mediocritatem cum intento, & prædominante ignis calore vnà manere posse existimet? at si illo calore cuncta animantia constituuntur ex Aristotelis opinione; quod existere in rerum natura animal poterit, in quo ignis elementum prædominetur? in secundo libro de ortu & interitu text. 49. & 50. generali asseritur oratione mixta omnia ex quatuor omnibus elementis constare; & circa medij locum, hoc est circa terram quiescere: is enim loquendi modus (omnia autẽ mixta corpora, quæcumq; circa medij locum sunt) haud distinguit ea mixta de quibus orationem habet, quasi illa peculiari & priuata mixtionis ratione terrestria putet, ab aereis & igneis mixtis, sed à mixtis imperfectis, cuiusmodi sunt nix, grando, pruina, & reliqua id genus; cum deinde iterum atque iterum repetatur mixta omnia, quæcumq; illa sint ex quatuor simul elementis coaluisse; ac ratio qua vtitur ad id demonstrandum ęque ad mixta omnia referatur, quocumque constent prædominante elemento, dum perfecta penetratione & transmutatione copulata & confusa inuicem fuerint; constat autem mixtorum imperfectorum pleraque supra terram in tribus aeris regionibus gigni, indeq; meterologicorum nomen habuisse; est igitur Aristoteleæ orationis sensus mixta perfecta vniuersa circa terram quiescere tanquam in loco naturali; at hinc non obscure educitur eundem Aristotelem mixtis omnibus perfectis aut terram, aut quod

terræ proximum ſit ut aquam, quæ cum terra in eandem globi formam concreſcit: prædominans elementum tribuiſſe, quòd ſcribatur in primo de cœlo text. 7. mixtum omne moueri ſecundum prædominans in ipſo elementum; hæcque tametſi ad vnguem ab Ariſtotele omnia nō ſcriberentur, ex eo tamē ſolo, quod nemo inficiari poteſt perſpicuè Ariſtotelem dicere voluiſſe, cuius mixto quatuor ineſſe oportere elementa, nullo penitus excepto; ita quis ratiocinationis filum ducet: aqua & terra longe minorem ad agendum vim obtinent igne & aere, quæ contraria ipſis elementa ſunt; eſt igitur neceſſarium ut proportione miſceantur in mixto elementa, ac ne infirmiora & languidiora à validioribus expugnentur, atque euincantur, ut quod aquæ & terræ intenſæ virtutis ad agendum deeſt, mole quantitatis & virtutis extenſione compēſetur; conſtat etenim etiā cum extenſa virtute aqua ac terra reliqua duo elementa ſuperant; ab ijs ſæpe virtutis intenſione ſuperari vt videre eſt ex oleo, ex ſinapi, ex abſinthio & reliquis id genus aut ſumma calliditate aut ſumma leuitate præditis rebus; quæ ergo ipſorum ruina foret ſi materiei quoque magnitudine, & virtutis in prolixam extenſionem deductione ab ijſdem ſuperarentur? ſcio illico aliquos obiecturos mihi ęque omnium elementorum in quouis mixto virtutes extenſas eſſe, ſecus perfectam & integram mixtionem minime futuram; ſed nos in mixtis duplicem cum ratione elementorum extenſionem facimus ſecūdum formam & ſecundum materiam, quæ ſuo quodam modo, ſed ſine primis qualitatibus affecta, cuique formæ propria reſpondet; eidemque mirū inmodum confert in actionibus edendis; formas igitur ex ęquo omnium elementorum in mixto produci, & ex-

tendi, materias præuias non item: atque hoc argumentũ ad corporeos Dæmones refutandos in Aristotelis doctrina est mehercule maximum; re tamen ipsa nihil concludit; quod quam rerum contrarietatem uocãt, re uera nihil significat aliud, quàm earundem affinitatem, & naturæ cõuenientiam; ideo enim & eidem generi subsunt, & eidem expetunt subiecto inesse; quod cum vim habeat finitam, & limitatam, ac certis terminis conclusam haud potest utrisque contrarijs æquè simul sui beneficium impertiri, ut uni soli impertiretur; quæ causa est cur alterum semper contrarium priorem velut in subiecto stationem nitatur occupare; ac nisi alterum radices in eo formas & constantes egerit, illud conetur tanquam de possessione deturbare, nullo quidem odio naturali, aut pugnantia inter ipsa existente; sed quoniam subiecti virtus non ualet ex æquo sufficere vtrisque, quia finita est; ut si pleno vini uase, alius in id liquor stillaret, effunderetur prorsus; nõ quia reijceretur à vino, sed quia uasis capacitas utriq; continendo haud satis esset: Hinc natũ axioma nõ posse contraria in summo gradu eidem simul subiecto inesse, vt in gradu remisso; quoniam quod intensum est, totam subiecti vim possidet; quæ remissa sunt, eam sibi in partes diuidũt æquales uel inæquales; hinc plurimæ de reactione, de intensioneq; & remissione à Calculatore inuentæ difficultates minimo negocio dissoluuntur; sed ad rem; vt ignis & aeris forma præstantior est aquæ & terræ formis, quod declarãt ipsorum comparatæ actiones, ita illorum propria, & præparata materia luculentioris est, & vberioris beneficij horum materia quæ inepta est, & hæbes; in multa igitur materia terræ & aquæ nix pusillum igneæ & aereæ naturæ, quæ delicatiores sunt, consistere potest; ac

ſi non nihil ipſarum uires excreſcant, illam totā depaſcūt ita, velut ex ſterquillinio aurum collectura, ut eius nihil amplius terræ & aquæ formis ſuperſit: at cum terra & aqua ad copioſiorem ignis & aeris materiam (quæ longe capacior eſt) aſſumūtur in loco naturali, hoc eſt ſuperiori; & Aethereo; ſecus ſe res habet. ita nos, obiter ut Ariſtotelis argumentis reſpōderemus. idem in quarto meteorologicorum text. 300. ſcribit corpus omne proprio termino terminatum aut durum aut molle oportere eſſe per neceſſariam concretionem; atque huius agentes cauſas callidum & frigidum videri, patientes uero humidum & ſiccum, cumque nonnulla corpora reperiantur quæ magis vergunt ad humiditatem, ut vinum oleum & ſemilia; aliaque item extent quę maxime ad ſiccitatē tendunt, ut omnia alia mixta corpora; illorum, inquit corpus hoc eſt ut ego interpretor prædominans elementū eſt aqua, horum autem terra: quòd hæc duo elementa humidorum, & ſiccorum paſſiua cenſeantur: quibus uerbis quid clarius, aut lucidius eſſe poteſt ut quiuis ſibi certiſſime perſuadeat, nulla Ariſtotelem corpora crediđiſſe, niſi in quibus aut aqua aut terra dominationem habet? num enim ſi vllos putaſſet inueniri aut igneos, aut aereos Dęmones; eoſdem ignis ſiccitate, & aeris humiditate terminata corpora habere non credidiſſet? num quod magis ec iguum eſt, ac minime prædominatur in mixto; alterius elementi quod uberius & luculentius eſt incertam ac fugientem figuram ſiſtet, atque terminabit? num quod rerminat, quatenus tale eſt, non oportet maius eſſe eo quod terminatur? quo enim modo in ſe illud exciperet, ut propriæ figuræ terminis definiret, ſi minori copia exiſteret? atque hæc ſatis fuerit de Dæmonibus dixiſſe. ſe-

cundum

cundum Aristotelis opinionem, quam hac nostra breui disputatione disquirimus. Reliquum nunc est ut post aliquantulum expatiatam orationem, ad octauę assertionis demonstrationem festinemus.

Octaua assertio sit substantiam naturalem cum re, tum ratione à materia separatã solere ab Aristotele appellari; quod patet ex eo primum quòd de ente ipso communi explicatum à nobis fuit, quod naturali cum substantia uicissim conuerti diximus, deinde ex tex.4. libri septimi vbi scribitur substantiam & ratione & cognitione, & tempore & natura omnium prędicamentorum primum esse, aliorumque cathegorematum nullum esse separabile, sed hanc solam; & ex text.34. eiusdem libri, vbi quæcumque igitur inquit simul sumpta species & materia sunt, ut symum aut æneus circulus, illa sane in hæc corrumpuntur; quæcumque non simul cum materia sumuntur, sed absq; materia, vt rationes speciei solum, hæc profecto non corrumpuntur aut penitus, aut nequaquam ita; speciei uero nomine formam & substantiam intelligit. & ex lib.8. tex. tertio vbi compositum ex materia & forma simpliciter separabile esse existimat, & ex lib.11. text.3. vbi cæterorum inquit nulllum separabile est, nisi substantia; atque ex tex.25. eiusdem libri, ubi scribitur substãtias accidentibus comparatas entia esse separabilia; quod nisi de ea separatione intelligatur, quæ secundum rem est, haud verum putari potest; cum accidentia quoque ratione sint à materia separabilia; neq; uero nobis ipsis aduersa scribimus, quòd ante sententiam haberemus materiam esse de ratione substantiæ, quia à subsistendo sic fuerit nominata, quod potentiæ est magis quàm actus; quoniam tũc nõ pro prima rei naturalis essentia, sed pro ea quam dixi

principe

principe proprietate substantiam accipiebamus; nunc autem sensim aliò deducta nominis significatione per substantiam naturalis rei essentiam intelligimus; Aristotelem imitati cum substantiam reliquarum cathegoriarũ primam esse pronunciat; cui scirpo nullum inesse difficilẽ nodum iudico.

Nona assertio fuerit substantias naturales per se æternas esse, alienasque ab ortu & interitu; id cum ex lib. de demonst. manifestum est, tum etiã ex li. 6. nichomachion c.3. in quo sic legitur, scientia quid sit, indè manifestum est, si exquisite tractare, & non sequi similitudines opus est; omnes enim id quod scimus non posse aliter sese habere existimamus, quæ autem aliter esse possunt, cum extra contemplationem fuerint, sint necne sint, latet: scibile igitur necessariò est, ergo æternum: quæ enim necessariò sunt, absolute omnia sunt æterna, quę autem sunt æterna, generationi, & corruptioni minime subiacẽt &c. Quis autem neget secundas substantias Physicas, hoc est genera & species scientia contineri posse? hinc lib. 2. Met. tex. 4. scribitur quare verissimum est inquit id, quod posterioribus, ut uera sint causa, est; propter quod principia semper existentium necesse est verissima esse; nec enim aliquãdo uera, nec illis vt sint, aliquid aliud causa est; sed illa cæteris; quare vt secundum esse vnumquodque se habet; ita etiam secundum ueritatem, quo loco certum est Aristotelem habere orationem de primis propositionibus, quæ causa sunt vt aliæ minus communes sibi subditę uere existant: atque semper existẽtium appellatione secundas ipsas naturales substantias intellexisse; ut necessarium sit principiorum quoque nomine maxime primas Physicas dignitates, & cõmunissimã Philosophiæ naturalis enunciata

ciata protulisse; constat ex primo lib. Met. text. 31. in quo easdem sempiterna sensibilium nominat his uerbis, potissimum vero dubitabit aliquis, quidnam species, hoc est ideæ conferant sempiternis sensibilium, aut illis quæ fiūt, & corrumpuntur: nec enim motus, nec alicuius transmutationis eis causæ sunt; quis non easdem propemodum voces iudicet semper existentia, & sempiterna? fateor tamen discrimine quodam seiungi vniuersalium Physicorum æternitatem ab eâ quæ Metaphysicorum vniuersalium propria est; tametsi vtraque vniuersalia nihil aliud sint, quā meræ secūdæ secundæ substantię naturales, hoc est genera, & species; quoniam illis præter uniuersalis ipsius naturæ significationem connotantur quoque primę & indiuiduæ substantiæ, quæ ortui & interitui sunt obnoxiæ, quòd pro iisdem supponant, ut logici loquuntur suppositione personali, communibus nominibus uniuersali signo præfixo; distinguunt enim simplicem, absolutā, personalemque suppositionē; atque ut cùm dicis homo, suppositio est minime personalis, ita cum dicis omnis homo personalis suppositio sit necesse est; ita uero huiusmodi suppositio appellatur, quòd præcipuæ res singulares pro quibus nomina communia hoc suppositionis genere accipiuntur, sint personæ; quamquam quid dico? non illis modo uniuersalibus signis, sed ab attributorum quoque natura de ipsis enunciantium communia nomina suppositionem acquirunt personalem; quis enim hanc audiens enunciationem homo mortalis est, pro natura ipsa humana, quæ species est quędam, ac ob id necessaria & sempiterna hominis nomen supponere existimet? at vniuersalibus, hoc est secundis substantijs naturalibus Metaphysicis, præsertim primis, non res singulæ, sed aliæ

secundæ

ſecundæ ſubſtantiæ inferiores connotantur, quæ & ipſæ neceſſariæ ſunt, & æternę: alio quoque non minori diſcrimine inuicem ſeparantur Phyſicæ & Metaphyſicæ ſubſtantiæ; quòd hæ per ſeipſas conſiſtent, illæ uero non niſi harum ope & auxilio; cum ſit trita in Topicis propoſitio ſublatis primis generibus inferiora genera & ſpecies tolli in conſequutione, non autem econuerſo; ordoque uerus propoſitionum naturæ ipſius ordini & ueritati reſpondeat, dicente Ariſtotele in prędicamentis ex eo quod res eſt uel non eſt orationem cenſeri aut ueram, aut falſam: At dicet aliquis id repugnare ſententiæ illi, quæ eſt Ariſtotelis in prædicamento ſubſtantiæ ſublatis primis ſubſtantijs, quæ ſingulares ſunt & indiuiduę ſecundas quoq; ſubſtantias tolli, obijciet alius non poſſe communiſſimis nominibus inferiores ſpecies connotari, niſi & ſingularia quoque ijſdem connotentur, quibus ſic ſatisfaciendum putamus, tam ſublatis primis ſubſtantijs ſecundas tolli, quàm ſublatis ſecundis primę tolluntur, uerum non pari, ac ſimili neceſſitate, nam ſecundæ ſubſtantiæ pendent à primis omnibus ſimul ſumptis materiali, & externa neceſſitate, primæ à ſecundis pendent neceſſitate formali, ac tametſi utraque neceſſitas ita conſtans ſit, ſecus nunquam ut ſe habere poſſit; diſcrimine tamen non minimo ſecernuntur, quoniam materię neceſſitas ortum quidem habet a rei propria natura, ſed non niſi velut oppoſitis terminis circumſcribitur hoc eſt, quatenus actui adiunctam potentiam habet, formalis uero neceſſitas ab actu rei proficiſcitur, quatenus actus eſt. altera difficultas non minus facili opera diluetur: cum enim res quæuis naturalis propriæ formæ, quidquid habet attributorum acceptum referat; quemadmodum duplex eſt formæ conſideratio

ſideratio nimirum quatenus actus quidā eſt, ac quatenus externa potentia actui adiūncta materiei coniungitur, vt ortus interitusque obnoxia fiat; ita duplex inuenitur attributorum genus, quæ de rebus naturalibus demōſtrantur, illorum inquā quæ à proprio & eſſentiali formæ actu originem habent aut nulli, aut internæ ſolū potentię commixto, atque etiam illorum, quæ formæ actum conſequuntur materiali potentiæ ueluti affixum, eidemque tanquam ineuitabili neceſſitatis lege hærentem; atque indiuiduorum propagatio haud oritur ex formę eſſentia, proprijs terminis concluſa; ſed materiei, potentiæque externæ copulata: nam illa per ſe ſimplex eſt, fierique ſi poſſet ut ſine ſingulis indiuiduis ſola exiſteret, in unam illicò, primis ſubſtantijs ſublatis uarie ſparſa ſpecies naturam coiret: hæc uerò prolifica eſt ortuq; mutuo & interitu in plures partes diffunditur; generationis & corruptionis, motusque ac mutationis cauſa exiſtit; quæ ratio eſt cur in Phyſica de actu in potentia externa, quatenus in potentia ſuſcepta diſputatione, communibus uocibus mortalia quoq; inde propagata indiuidua connotentur, in Metaphyſicis uero cum non agatur de actu niſi quatenus internæ potentię coniunctus eſt, ab externa longe potentia ſeiunctus, nulla ex profeſſo de ſingulis corruptibilibus rebus oratio habeatur, niſi cum ratio exponit, qua externa potentia ab interna & eſſentiali neceſſitate ſimit: de potentia externa intelligitur is locus text. 17. 9. Met. quo dicitur æterna carere potentia quæ ſubiectiua ne ſit ut cenſent Auerroiſtę, an obiectiua ut putat Scotus minime diſputo: qua de re ut diuiniſſime ita obſcuriſſime Ariſtoteles eſt philoſophatus: nec doctiſſimi viri doctrina, niſi emunctis naribus uiris, lectoque Peripateticę ſtu-

dioſiſſimis peruia eſt, quid uero mirum ſi nos actum à potentia interna, hoc eſt à naturali, & propria imbecillitate, atque ab externa hoc eſt à proprię imbecillitatis conuulſione, torſioneque externa ſeiungamus, cũ noſtrę Religionis doctiſſimi Theologi in humanis actionibus actus ipſius ſubſtantiam, quæ & à Deo; & ab homine efficitur, à deformitate peccati ſeparent, quæ homini ſoli adſcribitur? efferor diuinæ doctrinæ ſtudio, ſed ratio inſtitutæ orationis cogit me, ut propoſitæ diſputationis cancellos minime prætercam; ne rerum diuerſarum implicitis animis ac diſtrictis mentibus ſtudioſorum negociũ faceſſam ad ſingula recte & ſine errore intelligenda.

Decima aſſertio eſt, eaſdem ſecũdas ſubſtantias naturales in Ariſtotelis philoſophia ſenſibilibus ſubſtantijs opponi quæ ſunt primæ ſubſtantiæ tanquam non ſenſibiles; quod manifeſtum eſt ex lib. 4. text. 22. cum enim illorum opinionem recenſuiſſet, qui omnem de medio ſcientiam tollebant; ſubiunxit deinde; cauſa uero huius opinionis his fuit, quia veritatem quidem de entibus cõſiderabant; entia uero ſola arbitrati ſunt ſenſibilia eſſe; in his magna indeterminati natura ineſt, & eius quod ita ens eſt, ut prædiximus; quare veriſimiliter quidem, ſed non uere dicunt: ita enim magis conuenit dicere, quàm vt Epicarmus in Zenophanem; item cum hanc omnem naturam moueri uiderent, de eo autem, quod mutatur, nihil uerificari poſſe putabant; ex hac enim exiſtimatione ſumma illorum opinio pullulauit, qui ſe Eraclitum ſequi affirmabant, qualem & Cratylus habebat; qui tandem nihil putabat dicere oportere, ſed ſolum digitum mouebat re. an non hoc loco Ariſt. ſecundas ſubſtantias Phyſicas diſtinguit contra indiuidua Phyſica, quæ ſimplici

uoca-

vocabulo sensibilia appellat?

Vndecima assertio est, secundas substantias Physicas, immobiles ab Aristotele vocari: hæc deducitur ex loco proxime citato; cum enim ita pronunciauit (de eo autem quod mutatur nihil verificari posse putabant) per id quod mutatur, primam substantiam, & id quod singulare est intellexit; atque ex textu 23. eiusdem, libri qui ita habet; item manifestum est, quòd & ad istos eadē dicimus quæ olim dicta sunt; quòd enim est immobilis quædam natura ostendendum, & persuadendum est eis; quibus uerbis ad antecedentis textus orationem copulatis nemo dubitare potest secundas & vniuersales naturæ substantias significari, quòd uniuersalium introductione Cratyli & Eracliti opiniones retundantur, rebus ipsis singulis quarum illi incertitudinem, & instabilitatem prædicabant essentiali ordine respondentium; non primæ illius & immobilis naturæ, quam nos Deum uocamus; quid enim? num Deo immobili posito, cuncta si singularia, hoc est mortalia & mutabilia statuantur, generibus ac speciebus ab indiuiduorum uniuersitate sublatis veterum illorum Philosophorum falsam opinionem esse euincitur, certam scientiam humanæ intelligentiæ adimentium; aut quidpiam opponitur singularum rerum incōstantiæ, in quod respicientes constantem in inconstanti rerum fluxu scientiam parare homines possint? de ratione actionis & motus est, ut sint in singularibus, quorum ipsa proprie dicuntur, ut sæpissime monuit Aristoteles; singularia enim agunt, monentq; & mouentur, vt primo Met. & secundo Ethicorum scribitur, non vniuersalia; ob idque generibus & speciebus Physicis indiuidua cōnotari fateor, ob causam à me ante expositam; iisdemque communi quadam ora-

tione motum, & motus inconstantiam tribui in libris Physicis; ipsa tamen ab omni motu, corruptioneque & interitu alienam naturam habere nemo negauerit in Peripateticorum libris uersatus; num enim ijs conueniet motus, quæ nihil agunt, & nihil patiuntur? atque hæc hactenus fuit multorum inscitia, quòd scilicet substantiarū secundarum propria attributa, ab ijs quæ primarum substantiarum propria sunt minime distinxerint, cum tamen toto cœlo diuersam naturam habeant; nam res singulas non subire generum specierumque essentias, certius ac notius est, quàm demonstrari opus sit.

Duodecima assertio sit, easdem rerum naturalium principia ab Aristotele appellari; nam in tertio lib. tex. 2. quærit utrum ipsa genera sint principia, & elementa, an illa in quæ diuiduntur, quæ insunt singula? quòd si ipsa genera, utrum, quæ de indiuiduis prædicantur, an priora; & paulò post utrum principia uniuersalia sint, an tanquā singularia rerum; quam eandem dubitationem proponit in tex. 26. eiusdem libri & lib. 12. tex. 40. recentiores uero uniuersalia magis possunt esse substantias; genera namq; vniuersalia sunt, quæ asserunt magis principia, atque substantias esse, proptereaque logice quærunt; antiquiores verò singularia, ut ignem & terram, non autem corpus commune; & text. 19. causæ uero, atque principia quodā quidem modo aliorum sunt alia; quodā uero modo non; si quis vniuersaliter dicat, & secundum analogiam omnium eadem; dubitare namque quispiam possit utrum eadem, an alia principia & elementa substantiarum sint, & eorum, quæ ad aliquid sunt, & eodem modo in quolibet prædicamento, atque in text. 22. concludit esse eadē analogice; & in lib. 7. tex. 45. videtur autem inquit etiam

vniuersale causa quibusdam esse maxime, ac esse principium, ipsum vniuersale.
Decimatertia assertio erit, per entia à sensibilibus separata, immaterialia, sempiterna, & immobilia sæpissimè Aristotelem ideas Platonis, & numeros Pythagoricorũ intelligere, quod videre est primum ex his locis primo lib. c. 6. tex. 5. & 6. 25, 33, & 39. lib. 3. text. 2. 3. 7. & 18. lib. 7. toto cap. 2. atq; etiam text. 28. 51. & 58. lib. 8. tex. 14. & ex lib. 9. text. 18. deinde etiam ex alijs, quos mox adducã; ac quotiescunque in his libris dubitando quærit, num præter sensibiles substantias sint aliæ substantiæ, de numeris & ideis habere ipsum orationem non de Deo, & separatis intelligentijs. lib. 7. text. 39. utrum inquit aut præter materiam huiusceemodi substantiarum sit aliqua alia, & oporteat quærere substantiam eorum aliquam aliam, ut puta numeros, aut aliquid tale posterius considerandum est; huius enim gratia & de sensibilibus substantijs definire tentamus; quandoquidem quodammodo Physicæ & secundæ Philosophiæ opus est, ea quę circa sensibiles substantias speculatio est; non enim solum de materia Physicum cognoscere oportet, sed etiam de ea, quæ secundum rationem, & magis. textu secundo octaui libri: de ideis vero & Mathematicis posterius consideran dum est, etenim præter sensibiles substãtias, has quidem esse dicunt, nunc uero de concessis substantijs tractemus; hæ autem sunt, quæ sensibiles sunt, sensibiles uero cũctæ substantiæ materiam habent, est autẽ substantia id ipsum, quod subijcitur, aliter quidem materia; & aliter ratio. lib. 12. textu 5. & 6. substantiam Arist. diuidit insensilem & immobilem, atque illius quandam esse sempiternam, quandam corruptibilem, quam omnes concedunt, & quam

quam aliqui separabilem aiunt esse; quidam in duo diuidentes, quidam in unam ponentes naturam tàm species, quàm Mathematica; quidam ex his Mathematica solum. idem luce meridiana clarius colligitur ex text. 8. primi libri, qui ita habet; si vero corruptibilium substantiæ sunt separatæ, nondum est manifestum, nisi quòd quorundam non contingit, (vt patet) ut ea quæ non possunt præter particularia esse, ut domum aut uas; qua oratione certũ est Aristotelem alludere ad Platonis sententiam, qui rerum arte factarum nullas esse ideas contendebat.

Decimaquarta assertio est, Metaphysicorum libris in id cum primis Aristotelem respexisse, ut ijs proprio sensu expositis, quæ ad Physicorum intelligentiam requirebantur, ut docte quis sapienterq; Naturæ cognitionem possideret; Platonis & Pythagoræ opinionem expugnaret; qui postremam & absolutam rerum Physicarum notitiã postulantes vel in idearum ambages, uel in numerorum inuolucra deducebãt; qua expugnatione Metaphysicam tractationem ideò conclusit, vt propriam doctrinam etiã atque etiam constabiliret aduersus illorum inuoluta implexaque ænigmata; quod uel ex ijs verbis cuiuis mediocriter erudito non obscure suboleat, quibus Arist. refert antiquos illos philosophos entia separata rebus naturalibus numero paria fecisse, eademque illarum substantiã credidisse; ac ob id excogitasse, vt contra Eraclitum constantem de rebus Physicis scientiam retinerent; atrius vero contentio hæc ab Aristotele suscepta fuit, ad propriam doctrinam sanciendam; vt quæ ipse adinuenerat vniuersalia ad seruandam scientiam de rebus caducis; facilius studiosorum animis illaberentur in ea facultate, in qua de primis omnium scientiarum uniuersalibus ser-

mo

mo erat faciendus: Desinant igitur Peripateticæ sectæ amantes Philosophi illicò atq; aliquid de entibus & substantijs separatis in Metaphysicorum libris legunt, ad Deum & intelligentias separatas mentem conuertere; quasi vberem aliquam & prolixam in his libris de ipsis ab Aristotele orationem expectari; quibus tamē de Deo & rebus diuinis minime agitur, nisi ad res naturales cōparatis; vt etiam fecerat octauo libro Physicorum occasione æternitatis motus; quam nostram sententiam de ideis, quia vix credibilem ijs fore existimo, qui præposterè Platonis & Aristotelis omnia solent interpretari, quasi Platonicæ ideæ ad solam Theologiam referantur, ijsque sola diuinæ mentis fœcunditas rerum omnium architectatricis exprimatur; coger altius initio repetito, quid nomine idearum Plato intellexerit, nuda ac minime fucata orationis veritate palàm commonstrare; cunctisq; ostendere rerum naturalium essentias ijs præcipue à Platone expressas fuisse. Plotinus igitur, Porphyrius, Proclus, Proculus, Lamblychus, D. Aug. Marsilius Ficinus, Ioannes Picus Mirandulanus, Augustinus Eugubinus, Eustrathius, Magnus Syrianus, Bessario Cardinalis, & plerique alij mordicus tenent ideę appellatione notionē ipsam, & exemplar in diuina mente existens Platonem significasse; in diuina inquam mente hoc est in primo intellectu, non in eo quem Deum opt. Max. vocamus; in hoc enim nullus nobilis Platonicus ideas, formasque exemplares existere putauit, cum sit simplicissimus, eminentissimo modo contineat omnia potestate, esse possideat infinitum, ac minime aut ad intelligibilitatem aut quidpiam aliud contractum, sitque denique supra omnē intelligibilitatem: vnde natà illa Platoni vulgo visa Para-

doxa.

doxa Deum neque intelligere, neq; intelligi; quæ diuinæ mentis exemplaria Proculus ab alijs diffidens quatenus sunt in mente diuina dicit ideas nominari, quatenus vero latent in prima essentia, quam ipse immediate cum prima vita, cum primoque intellectu a primo principio manare dicit Parmenidem Dialogum exponens, essentiales formas contendit esse nuncupandas; vtuntur autem omnes in communi sententia probanda Platonis testimonio in epist. in Timæo, Phœdro, Phœdone, & 6. de repub. quibus locis aut dicitur ideam esse primũ intelligibile, quod constat esse primum intellectum, quem & verbum & primi principij filium vocat; aut Deus pater nominatur ipsum bonum, hoc est idea boni, vt in epist. at si Deus pater est idea boni, quomodo ipse à se erit separatus? aut præscientia & prouidentia Dei asseritur, quam certum est inanem fore, nisi rerum omniũ quæ vniuerso cõtinentur is ideas, & formas teneat: adducunt præterea insigne illud Socratis cum Hippia colloquium quod sic habet. Soc. omnium qui rem aliquam operantur Hippia (vt mihi quidẽ videtur) ea est conditio, ut aut sciant, quæ agũt, aut nesciant, num idem videtur & tibi? Hipp. videtur. Socr. nonne qui sciunt, periti, qui vero nesciunt, rudes, atque imperiti nominantur? Hipp. nominantur. Soc. quem intelligimus peritum Hippia, nonne qui eius rei, quam facturus est certam & rationem & speciem habet? Hipp. eum ipsum. Soc. annulum igitur illum tuum, quẽ in olympicis à te mira arte elaboratum ostentasti, num effecisses, si & sculpendi rationem, est annuli speciem non habuisses? Hipp. non profectò. Soc. & Phidias cum Mineruam, quæ in arce & faceret Hipp. minime Soc. eia age bone vir illum qui à nobis [illegible] à Poetis rerum

opifex

opifex dicitur, qualem credis? Hipp. maximum. Soc. putas ne eum certa ratione agere quemadmodum periti sculptores solent, an potius cœco ac fortuito euentu; quemadmodum rudes, & inexperti? Hipp. certa ratione ò Socrates quemadmodum periti. Soc. dices ne eum irrationabili potentia ignorantur agere veluti naturam? Hipp. nequaquam.. Soc. fatendum ne præsciri ab eo, quæ fiunt, ut si hominem faciat, cognoscere se facturum hominem; si equum, equum? Hipp. fatendum. Soc. nõne quemadmodum in te erat species annuli, & in Phędia species Mineruæ, erunt similiter in eo species hominis, & equi? Hipp. erunt. Soc. habebit igitur is rerum, quas facit omnium species. Hipp. habebit. hæc Plato; cuius oratio vt intelligatur, memoria sunt repetenda quæ ab eodem in Timæo & alijs locis statuuntur, de vniuersi conditore, & opifice, quem is non primum principium, qui à nobis Deus nominatur, sed primam mentem, seu primũ intellectum esse existimat; quem Plotinus in quinta Enn. lib. 7. c. 6. nullorum intercessione mediorum à principio primo manare iudicat; inquiunt igitur, quos nominaui Platonici, operępretium esse, vt in prima mente antequã Mundum & Mundi species conderet, præcesserint ideæ & exemplaria omnium rerum quas erat conditura; nihilo seciusquàm animo artificis imago hæret operis faciendi, quibus insignioribus (fateor.) Platonicæ familiæ Philosophis unus sese opponit Aristoteles, Platonis ipsius per multos annos auditor, qui Platonis mysteriorum interpretationem omnium optime doceri potuit ab amantissimo præceptore; vt haud ab re mirum cuique videri debeat, Platonica decreta secus quàm ab Aristotelem alios interpretari ausos fuisse; nisi iniq; existimemus Pla-

toni Ariſtotelem inſcitiæ notam inurere uoluiſſe, modusq; cum deeſſet, calumnias confinxiſſe, ac per ſummã audaciam ſanctiſſimi Magiſtri doctrinã falſis criminibus vellicaſſe eo tempore; quo non pauci Platoni non minus Ariſtotele dilecti diſcipuli cordatiſſimi iuxta & doctiſſimi viri ſuperſtites erant; qui falsò obiectas præceptori culpas depellere haud veriti fuiſſent: reprehendit autem Ariſtoteles Platonem, quòd ideas introduxerit tanquã æternas quaſdam & conſtantes eſſentias ab ijs ſeiunctas, interualloq; longiſſimo ſeparatas, quorum ſunt eſſentiæ, vt humanitatis naturam à ſingulis hominibus diſtractã; equi eſſentiam auulſam à ſingulis equis, cæterorumque eodem modo; falſò igitur ſentiunt quicumque contra ſentiunt; quod ne caſu & temerè dixiſſe videamur, Platonis doctrina ſedulò expendenda, magisque ac magis diſcutienda, rem ipſam & ueritatem diſquiramus, non contendo cum Platonicis ideas non eſſe, aut non ſplendeſcere, & elucere ut rerum exemplaria in diuina mente; utrũque enim ſenſiſſe Platonem cum ex adductis locis conſtat, tum ex decimo de republ. ubi comparatione utens, humanos artifices ſua opera abſoluturos intueri dicit in ideas rerum, quas arte confecturi ſunt; multi inquit ſunt lecti, & multæ menſæ; at ideæ huius ſupellectilis duæ ſunt vna lecti, altera menſæ; itaq; dicere conſueuimus utriuſque ſupellectilis artifices ſic opus ſuum abſoluere, ſi in ideam illam intueantur unum quidem lectos, alterum menſas, quibus utimur, cæteraque ſimiliter: nullus enim artifex ideam ipſam facit &c. quo loco comparata oratione Plato vtitur, ac per ſimilitudinem quandam ideas uocat operum formas artificis menti inſidentes, quas conſtat eiuſdem ſententia ideas proprie non eſſe; attamẽ

ut cum

vt cum ratione translationem adhibuisse Plato uideatur, eæ quoq; quæ proprio vocabulo ideæ appellantur menti alicui impressæ & affixæ debent esse tanquã exemplaria, vt illæ quas artifex impressas animo habet rerum arte faciendarum; sed haud est in hoc positus quæstionis cardo Aristotelis cum Platone; censuit Plato similia similibus cognosci, vt refert Arist. primo de anima tex. 26. hinc in Theeteto scientiã proprie esse vult interioris essentiæ, quæ in multis similitudinem communionemque naturæ continet, sensum aũt affectionum quæ illius essentiæ comites sunt, in illaque dissimilitudinem pariunt; hinc à Platone & Platonicis scientia, opinio & cogitatio penes res obiectas distinguuntur, non penes modum aut certius aut obscurius illarum ueritatem attingendi: qua de re Proclus luculenter cap. primo comm. in primum librum Euclidis, & Plato ipse lib. 7. de rep. tametsi in Philebo sibi pugnantia scribere videatur, cum rem eandem scribit cũ in opinionem, tum in scientiam cadere posse; qua de re aliàs, ne nodos nodis nectere videar; cum igitur Plato Heracliti imbutus opinione, ut Arist. dicit omnia uideret, quæ natura constant ortui, & interitui, mutationique perpetuæ obnoxia esse, ne prorsus adimeret homini assequendæ ueritatis modum rerum incõstantiæ, idearum stabilitatem illicò obiecit, non quòd rerum caducarum duntaxat ideas faceret, sed quòd illarum ut etiam æternarum ideas assereret, dissimili tamen, ac magnopere diuersa ratione; nam rerum caducarum ideas uocauit ipsarum certas & constantes essentias, æternarumque & diuinarum similiter; sed cum in maxima mutatione & uicissitudine mortalium rerum, constantem quendam notaret ordinem, eodem modo sæpe repetitũ, cogitauit fieri

ſecus non poſſe, quin ille, cuius nutu ſapientiæ vniuerſa Mundi moles regitur, atque adminiſtratur, perennem & inconcuſſam mortalium rerum, atque etiam aliarum cōgnitionem poſſideret per ipſaſmet res animo cōprehenſas; ac rerum naturalium, quæ diuerſis uitæ & mortis caſibus quatiuntur, duplicem conſtituit eſſentiam, alteram expreſſam in diuina mente, in rebus ipſis uix adumbratā; alteram; hancque manare ex illa, ut à ſolis pleniſſima luce imperfecti luminis radij manare conſpiciuntur: rerum uerò quæ fruuntur æternitate, ideas quoque fecit, ſed non ab illis ſeparatas, cum certas & firmas eſſentias teneant; niſi quatenus aliunde, hoc eſt à Diuinæ liberalitatis munere habent, ut æternæ ſint, ut ſcribitur in Timæo; ob id enim binas illis ideas tribuere opus fuit; propriam & inſitam vnam; in primæ mentis receſſu locatam alteram; quæ cum vtreque conſiſtentem naturam habeant, eiuſdem propemodum ſunt rationis, non altera expreſſa, adumbrata & inconſtans altera, quemadmodum rerum caducarum; accidit ergo, eſtque aduētitium ideis rerum, vt exemplares ſint, exiſtantque in diuina mente; quo ideę ratio tota conſtituitur, eſſentiæ eſt communio ſecundum Platonem, vt accidit patri vel filio alterius alterum effigie referri; eſt igitur idea ſecundum Platonem rei cuiuſuis eſſentia plena, perfecta ſolidaq; exiſtens; res naturales non cōſtant inſitis ideis, ſed imperfecta quadam ab ideis impreſſa ſpecie; ob idque minime conſiſtentem naturam habent, ſed vmbratilem & obſcuram; neque uero ideas certa in re Plato collocabat, ſed in diuerſis; nam bonitatis & unitatis ideam vel omnium iudicio Platonicorum primum ipſum principium eſſe exiſtimabat; rerum aliarum ideas primæ menti aſſignabat, rurſusque aliarum animæ

Mundi

Mundi ut Proclus ſenſit; cenſebat prætereа Plato ideas nonnunquam infundi humanis mentibus, in iiſdemque ſeſe varie diffundere; non menti igitur primæ affixas putauit; Antecedens conſtat ex Timæo, in quo ſcribitur cuiuſdam contemplationis, illius nimirum, quæ perfecta eſt deos ſemper participes eſſe, homines autem paucos; at nulla apud Platonem reperitur rei perfecta cognitio, niſi quæ per ideam eſt; idem colligitur ex epiſt. quadam Platonis ad amicos Dionis, in qua ita legitur; maximum omnium cum duo ſint, eſſentia, & qualitas; quando animus non quale, ſed quid ſit, quærit, niſi quodlibet horũ quatuor quæſitum prius ab anima tam ratione, quàm affectu, denique ſenſibus bene diſcuſſum; per omnia, quæ dicuntur, atque oſtẽduntur, euaſerit; omni ambiguitate, & obſcuritate (vt ita dixerim) omnes implebit, in quibus igitur haudquaquam conſueti ſumus ob prauam cõſuetudinem uerum perquirere; ſed ſatis nobis factum putamus, ſi appoſita ſimulacra attigerimus, minime deriſui ſumus inuicem interrogantibus, potentibus duntaxat quatuor illa diſcutere, & arguere; ubi vero neceſſitas cogit quintum oſtendere, quiuis eorum qui poſſint ſubuertere, atque retractare, peruincit; facitq; ut qui exponit ſermonibus, uel literis, uel diſputationibus apud audientium multos nihil eorum, quæ vel dicere, uel ſcribere aggreditur, intelligere videatur; qua in re ſæpe ignoratur non animum dicentis uel ſcribentis redargui, ſed naturã potius cuiuſlibet illorum quatuor male ſe habentis; traductio uero per omnia illa ſurſum, deorſumq; in unumquodque diſcurrendo perueniens, uix tandem ſcientiam parit intrinſecus, ſcientiam inquam ipſius quod naturaliter bene affectum eſt in animo ad ipſum quoque naturaliter

raliter bene affecto; hæc eo loco Plato; In Parmenide idem ex professo de ideis agit, at eo loco illas veluti media quædam entia constituit inter primum principium & res natura constantes, easdemque contendit esse separatas à rebus singulis, quæ eis participant; non igitur notiones diuinæ per se sunt ideæ, cum notio mentis ut notio est, nouum rerum genus a mente ipsa distinctum haud constituat; innumeraque reperiantur inter primum principium & res mortales præter notiones intelligentiæ diuinæ inhærescentes; quin apud Platonis doctrinam mentes ipsæ separatæ siue primæ siue secundæ & Mundi anima, cœlestiaque corpora magis ideæ sunt, quàm illa, quæ ab intellectu primo percipiuntur; quoniam nō quidquid mente diuina comprehenditur, illicò idea nominatur; q sicut Alcinous docet c.8. libelli de doctrina Platonis, neque eorum, quæ arte efficiuntur, ut clypei, vel liræ, neque eorum quæ sunt præter naturam ut febris & peccati, neque singulorum ut Socratis & Platonis, neque uilium rerum & abiectarum ut sordium atque festucæ, neque relatorum, ut maioris, & excedentis, ideas esse Plato sententiam habuerit; at quis diuinæ menti quæ secundum Platonem amplissimam habet uniuersi prouidentiam rerum huiusmodi cognitionem adimat? quin nec humanarum actionum Platonem puto ideas fecisse, cum tamen Deo notissimæ sint Mundi moderatori: ut enim præmijs afficiet probos, pœnaque mulctabit improbos, quod semper à Platone prędicatur, nisi utrorumque facta perspecta habeat? non igitur sunt prorsus idem idea, atque exemplar æternum diuinæ insidens intelligentiæ; cur uero illarum quinque rerum ideæ à Platone nullæ statuerentur, hanc causam puto: Mundi moles ordine constat

aliquo,

aliquo, in eaque sic uariæ species implicitis nexibus iunguntur, ut nulla ratione diuelli per cathenæ dissolutionē possint, quæcunque ad ordinis essentiam, & compaginis uniuersæ necessitatem spectant: uelut enim unico annulo laxato, tota omnium colligatio collaberetur: at plurima sunt, quæ aduentitia ui uniuersi structuram complent, ac non tam ex ipsa ordinis essentia, quàm ex ordinis exuberante quadam, & late fusa progerminatione nascuntur, vt quamquam definito modo, aut opposito eueniant; nihilo sit Mundanus ordo atque ante alius futurus, qua de re multa scripsimus ijs libris, quibus priuatim de uniuersi totius ordine egimus: illarum igitur rerum per se sunt ideæ, hoc est separatæ & stabiles essentiæ, quæ per se uniuersæ structuræ in essentialem coagmentationem recipiuntur, nō illarum, quæ temerè, & casu quodam ex alijs pullulant, uel per imitationem, uel per fortuitum concursum, uel per exuberantem copiam, uel per defectionem quandam rerum singularum, quòd hæ alijs rebus adnascantur non tàm pro earum essentia perfecta & absoluta, quàm quia ab integra & perfecta essentia deficiūt; ut nisi res putrescerent non essent muscæ, res sordidæ &c. nisi per uim diuiderentur, non essent festucæ, ac nisi cuiusque rei natura parte aliqua deficeret, non esset cur artis beneficio uniuersalem naturam imitantis plurima aut resarcirentur, aut sustentarentur; quę uero præter naturam sunt ut monstra, & peccata, quis dubitat hoc ipso stabili certaque essentia carere in uniuersi constitutione? ac singula ut talia sunt quis neget ex naturæ imbellicitate duci quæ secus totam speciem seruare nequit, quàm multis in dies post alia diruta, & extincta fabricandis & componendis indiuiduis? quis ijs constantem statum tribuat

in

in tanta inuicem agentium, & patientium capitali & irreconciliabili contrarietate? ſingulis uero caducis rebus conſtanti eſſentia negata, quæ ſtabilis eſſe poterit ſingularum actionum conditio, hominum præſertim, qui omnium incertiſſima, & maxime uaria proprij arbitrij regulis & legibus uiuunt? cupio uero à ſtudioſis nõ perlibari, ſed diligenter legi, quæ ſequuntur illa quæ ex Platonis ad amicos Dionis epiſtola recitabamus, ut ex conſequentibus antecedentium interpretatio petatur, atque ab ijſdẽ expẽdi de rerum per ſimilia apud Platonicos cognitione locum Plotini in libro quo inquirit de malis, quæ & unde ſint, qui ita habet, dubium eſt qua nam potiſſimum ex uiribus, quę nobis inſunt, mali naturam percipiamus; quippe cum cognitio ſingulorum per ſimilitudinem quandã perficiatur, intellectus namque ex anima, cum ſpecies quædam ſint, ſpecies quoque cognoſcunt, eaſque naturaliter appetunt; at vero malum nemo ſub ſpeciei ratione effingere poteſt, cum in quadam boni totius abſentia cogitetur: hæc Plotinus. ſic uero Platonis opinionẽ Ariſtotelem expoſuiſſe, ut nos diximus fidem facit omnium maxime locus qui ita legitur in 6. lib. Top. ſpectandum ex idea, ſit ne uera & propria, quæ data eſt definitio; quandoquidem in quibuſdam id non reperiri cernitur, quemadmodum Plato definit adiungens animantium definitioni, mortale; ſi enim idea eſt, certe mortalis non eſt, uelut ipſe homo, ita ideæ minime conueniet & definitio; omnino neceſſe eſt ſi addatur id, quod efficiens eſt, aut patibile, in idea diſcrepare definitionem; impatibiles enim & immutabiles uidentur ideę his, qui eas defendũt, quales definitiones contra eos ualent: ut omittam 6. ca. lib. 6. c. 7. & 14. eiuſdem, & c. 4. libri 12. Metaphyſicorum,

 quibus

quibus palàm Plato repreheditur, quòd rerum essentias ab ipsis rebus separaret, atque seiungeret; diceretque hominis verbi gratia naturam à singulis hominibus seiunctam inueniri, & rerum aliarum eodem modo: qua vero uia & ratione res ortui & interitui obnoxiæ idearũ participes fierent, maius est opus, quàm debeat in præsentia præstari; illud tamen pro comperto est Platoni, res singulas formaliter pendere à proprijs ideis; non quia hę illas informent, sicut corpus ab anima, & subiectum à colore informatur; sed quòd ad res caducas se habeāt ideę, sicut radij solis, quibus aer collustratur, se habent ad lucem solis; & imago parietis vel oculo vel speculo affulgēs ad parietem ipsum à quo diffluit: solis enim recessu euanescunt illicò radij, densisque cuncta tenebris offunduntur; amotoq; ab oculis pariete in ipsis haud amplius parietis subsistat simulachrum; hinc Plato solem Dei filium appellat, quòd scilicet vniuersi administrationem diffusæ solis luci modo quodam respondere censeat; atque hæc de Platonis opinione strictim vt potui, & succincte.

Hactenus uero in eo cum elaborauerim, ut meæ sententiæ præcipua capita exponerem, argumentisque probarem; reliquum est modo vt Metaphysicorum libros omnes percurramus, ac videamus si quid amplius sit in ijs, quod opinionis nostræ veritatem demonstret; præter ea, quæ ante attulimus; atque ut à cap. 2. primi libri exordium sumam, ab ijs verbis auspicatus; quòd hæc scientia non factiua sit, sed speculatiua ex primis philosophātibus patet; propter admirationem enim & nunc, & primò cęperunt homines philosophari; à principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant, deinde paulatim ulterius procedentes, etiam de maioribus dubitan-

do, vt de paſſionibus Lunæ, & eorum quæ circa Solem & Stellas fiunt, ac de generatione vniuerſi; qui uero dubitat & admiratur, putat ſe ignorare; quare Philoſophus amator fabularum quodãmodo eſt, eo qđ fabula ex mirandis conſtat; quare ſi propter fugam ignorantiæ philoſophati ſunt, patet quòd cauſa cognoſcendi, & nullius vſus gratia ipſum ſcire proſequebantur. Hæc Ariſt. cuius ratio eſt plane friuola, niſi de iiſdem agat Metaphyſicus, de quibus illi ueteres propter admirationẽ philoſophabantur, quæ ex Ariſtotelis recitatione merè Phyſica fuerant, nimirum illa, quæ ſunt infra Lunam, paſſiones Lunæ, ea quæ circa Solem, ac Stellas fiunt, & generatio uniuerſi, in c. 3. eiuſdem libri de his inquit omnibus & ſi ſatis inde naturalibus ſpeculatum ſit, nihilominus tamen illos quoque, qui ante nos ad entium perſcrutationem venerunt, adſciſcamus, proderitq; huic tractationi nunc; ſi illa breuiter repetamus, aut enim aliud cauſæ genus inueniemus; aut certe illis magis credemus, quæ nũc dictæ ſunt; in qua oratione dictio illa (aſciſcamus) præter omnem dubitationem ſignificat ea, quæ deinceps expoſiturus eſt, omnia ad ſcientiam naturalem eſſe referenda; quod confirmatur ex cap. 4. cum de ueteribus ſermonẽ Ariſt. faciens, de motu vero inquit, unde, & quomodo exiſtentibus ineſt, & hi perinde, atque alij per negligentiam omiſerunt; etenim ſi de cauſis his libris oratio eſſet inſtituta minime Phyſica, cur ueteres reprehenderet, quòd in tractatione de cauſis motus generationem non explicuiſſent? & ex text. decimo cum perſiſtens in ueterum philoſophorum reprehenſione, ex eis inquit tantũ habemus, quod eorum qui de principio & cauſa dixerũt; nemo quicquam præter ea, quæ in de naturalibus determinata

minata sunt dixerit: & paulò post; quòd igitur de causis & quot, & quales sint recte determinatum sit testari nobis etiam isti omnes videntur, cum non possint aliam attingere causam, & ad hæc quòd principia aut ita omnia, aut horum aliquo modo quærenda sint, patet: en quantopere Arist. demonstrare studeat, se de causis in libris Physicorum nihil prætermisisse, quod non faceret, si penitus essent Metaphysica à Physicis diuersa; idem institutum tutandi Physica sequitur in text. 50. ijs uerbis, quòd igitur illas, quæ in de naturalibus dictæ sunt causas cuncti quærere videantur, & præter illas nullam aliam dicere habeamus ex illis, quæ dicta sunt prius, patet: in 2. cap. secundi libri alludit Arist. ita ut negari non possit ad Cratyli & Platonis errorem, qui propter inconstantiam, & infinitum numerum rerũ quæ ortui & interitui obnoxiæ sunt, nullam de ijs haberi scientiam posse contendebãt, cum ostendit causas eorum quæ sunt, non esse infinitas, quòd tandem deueniatur ad eas causas, quę consistentes sunt, primæ, & sempiternæ. & ca. 3. eiusdem libri text. 16. per uerbum de præsentis necessitatis rationem reddit ordinis initio secũdi libri Physicorum seruati, uelut rursus de naturalibus rebus orationem habiturus. ac tanquam ante de natura differere inciperet, quàm docendi res Physicas modum & Methodum constitueret: quòd Metaphysicorum libri pari vestigio Physicas auscultationes consequantur: verba sunt Aristotelis hæc; certitudinem uero Mathematicam non oportet in cunctis quærere, sed in his, quæ non habent materiam; quare non est naturalis modus; tota enim natura forte habet materiã; quamobrem considerandum est primum, quidnam Natura sit; sic enim & de quo naturalis scientia sit, manifestũ

erit,& vtrum unius scientię,an plurium est causas speculari;quæ uerba cum recẽtiores quidam Philosophi haud bene intellexissent, sumpsere ex ijs occasionem,cum sibi; tum alijs in animum inducendi secundum librum Metaphysicorum procemium esse librorũ de Physico auditu; quorum opinionem ueri & solidi nihil contineri iamdiu ab alijs commostratum fuit. in tex. 3. tertij libri omnes inquit actiones cum motu; non igitur nisi de Physicis actionibus oratio his libris ab Aristotele habetur; actiones enim Dei, & intelligentiarum procul sunt ab omni motu.in lib.4.tex.2. omnis inquit generis & sensus unus unius,& scientia; ueluti grammatica existens una omnes uoces speculatur;quare entis quot species sunt & species specierum speculari unius scientiæ genere est:quæ uerba ad Metaphysicam referri nequeunt, nisi eadem sit naturali philosophiæ, de qua alio loco Arist. dubitauit, essetne una scientia genere, an specie: quod ita ostendo: si Metaphysicus de eo per se ag't, quod ab omni penitus est materia disiunctum, atq; hæc est ipsius ratio formalis vt censet D. Thomas,& cum eo plerique, non potest unà complecti de Deo, ac de rebus naturalibus scientias tanquam duas species,ea considerans, quatenus entia sunt, quòd rerum Physicarum ratio, communi entis Metaphysici rationi aduersaretur : quia illarũ natura materiã includit, ut ijdem homines censent : neque uero hoc te nodo extricabis trito illo respõso, res naturales ut entia sunt materia carere; quoniam cuiusuis generis species, si spectetur ut species est, fieri non potest quin genericam naturam exprimat, quatenus ad speciei ipsius rationem contracta dicitur; hoc est (ut generale enunciatum rei propositæ accommodemus) si res naturales cum considerari

derari dicuntur quatenus entia sunt, in sola entis communi ratione cōsiderant; haud rectè dici potest eas considerari quatenus sunt partes & species entis; sed quatenus generali illa entis potentia continentur; quo pacto species in genere potestate esse dicimus; at Arist. dicebat vnius generis scientiæ esse ens, & partes entis cōsiderare: Deinde Metaphysicam à Physica diuersarum prorsus si faciamus; Metaphysicaque sit genus, & Philosophia naturalis sit illius species; ut hæc Aristotelis uerba dicere cogunt quemuis obstinatum hominem, qui toto eas interuallo distinctas putet, turpis Aristoteli erroris notam impingimus, cum in 6. libro Philosophiam tripertitam facit, in Physicamque, Mathematicam, & Metaphysicam eam distribuit; quod genus, & generis speciem partitionis eiusdem membra constituerit; quem scopulum facilè effugimus nos, ut postea docebitur. Idem Aristotelem nimirum his libris agere de ente solo naturali patet ex entis proprietatibus, quas exponit, quæ non quadrant nisi in entia naturalia: nam tum tex. 3. & 4. quarti libri ad hanc scientiam dicat spectare disputationem de uno, & multis, de eodem & diuerso, de simili & dissimili, æquali & inæquali, priori & posteriori negatione & priuatione; ac denique de contrarijs; quis existimet huiusmodi entis affectiones eatenus explicatas ab Aristotele fuisse, quatenus cadere in Deum quoque possunt? quis neget illarū plurimas alienissimas uideri à Dei optimi maximi naturam? at si ita se res habet, an non maxime est Aristoteles coarguendus, quòd fucum fecerit, ac proprietates rerū Physicarum proprias pro communibus vendiderit? sed quid tantum hac in re ego operis sumo? Aristotelem ipsum audiamus. is igitur lib. 5. cap. 6. modos exponens,

quibus

quibus aliquid eſt vnum;nimirum aut per ſe,aut per accidens;ac ſi quidem per ſe ſit unum,aut continuatione, aut quia eorum ſpecies indiuiſibilis ſecũdum ſenſum eſt; aut quorum vnum genus differens oppoſitis differentijs, aut quorum ratio quod quid erat eſſe dicens indiuiſibilis ad aliam eſt; atque vniuerſaliter inquit quotcumque non habent diuiſionem,quatenus nõ habent, eatenus unum dicuntur;num diuinæ & ſimpliciſſimæ unitatis rationem expreſſit? mordicus enim contendo nullo eorum modorum Deum vocari poſſe vnum; non per accidens, non continuatione,non genere, nõ ſpecie vt cuiuis perſpicuũ eſt;neque etiam definitione: quia ea conſtat genere & differentia; Deus uero procul eſt ab omni genere,caretque determinata differentia; minus autem priuatione, cui potentia ſemper,& defectio adiuncta eſt;priuatiueq; exponendæ ſunt uoces illæ (quæcumque non habent diuiſionem,quatenus non habent)quoniam quod per ſimplicem & abſolutam negationem indiuiſibile eſt, haud recipere poteſt exceptionis illam notã (quatenus) quod argumentum eſt mehercule maximum; quoniam Ariſt. in Metaph. ens & vnum ubique facit æque vniuerſalia; ſcribitque quodam in loco idem eſſe ens hominem, & unum hominem; Eundem Philoſophum ad ſolas res naturales reſpicere cum c.9. eiuſdem libri explicat quæ ſint eadem & diuerſa,& ſimilia; & cap. 10. quæ ſint oppoſita; & cap. 11.quæ priora & poſteriora,ita clarum eſt ex contextu ipſo orationis vt negari à nemine poſſit, niſi ab eo qui parum ſanam habeat mentem,ut etiam in lib. 10. tex. 14. & 19.in fine docet oppoſitionum differentias nõ eſſe ſumendas extra ea, quæ genere & ſpecie differunt, hoc eſt extra figuras prædicamentorum;quibus non eſt ſem-

per

per repetendũ Deũ & separatas mentes minime contineri; ut uero in argumentando seriam ipsam librorum Metaphysicorum, ut exorsi eramus, sequamur in lib. 7. text. 22. eorum inquit Arist. quæ fiunt, quædam natura, quædam arte, quædam casu fiunt, omnia uero, quæ fiunt, & ab aliquo, & ex aliquo & aliquid fiunt; aliquid uero inquit dico, secundum quodque prædicamentum aut hoc, aut quãtum, aut quale &c. qua distributione nullo pacto censeri potest Dei, & intelligentiarum actiones comprehendi; & text. 23. generationum autem & motuum hæc quidem intellectio, hæc uero affectio uocatur; quæ quidẽ à principio & specie intellectio, quæ uero ab ultimo ipsius intellectionis effectio: quo loco certum est non haberi orationem de Dei, & intelligentiarum intellectione, cum tamen Arist. uniuersim loquatur de omni intellectione, quæ ad subiectam libris Metaphysicorum materiam referri potest. lib. 8. tex. primo, ex his quæ dicta sunt inquit colligere oportet, ac summatim congregando finem imponere; dictum autem est, quòd substantiarum causæ, principia, & elementa quæruntur; substantiæ uero quædam ab omnibus concessæ sunt, de quibusdam separatim enunciauerunt quidam; concessæ quidem; quæ naturales sunt, ut ignis, terra, aqua & cœtera simplicia corpora, deinde plantæ, & partes ipsarũ, animalia, & partes eorum; & tandẽ cœlũ, & partes cœli, separatim uero quidam substantias esse dicunt substantias, & Mathematica; alias uero accidit ex orationibus substantias esse, quodquid erat esse, & subiectum. quo ex loco perspicuum est Aristotelem cum quærit in his libris num præter substantias naturales sint aliæ substantiæ ab ijs separatæ, ideas intelligere, quas hoc loco substantias appellat: oratio ue-

ro illa, (& tandem cœlum, & partes cœli) ob dictionem (tandem) ſat indicat cœlum vltimam & poſtremam ſubſtantiam eſſe illarum, quas quærit. Similis locus eſt in 11.lib.text.1.c.1. ubi & omnino inquit dubitationem habet utrum circa ſenſibiles ſubſtantias eſt, quæ nunc quæritur ſcientia, an non; ſed circa alias quaſdam; etenim ſi circa alias, aut circa ſpecies erit profectò, aut circa Mathematica, quòd autem ſpecies non ſint manifeſtum eſt; attamen ſi quis ponat eas eſſe &c. quid clarius, quid apertius in noſtram ſententiam dici poterat? quin toto 8.lib. de nulla ſubſtantia Ariſt. tractat, niſi de ſenſili, ut cuiuis manifeſtum eſt cum ex libro ipſo toto, cum ex tex.8. atq; ex tex.9. ubi diſertis uerbis dicit ſe nō vocare ſubſtantias ea, quæ non natura conſiſtunt; fortaſſis enim inquit nec ſubſtantiæ ſunt hæc ipſa, nec aliorum quicquam, quæcunque non natura conſiſtunt: dictio autem illa (fortaſſis) aſſerentis eſt, non dubitantis, ut norunt omnes Peripatetici, quibus Ariſtotelis libros terere conſuetudo eſt. idē innuitur in fine text.11. & text. 12. atque 15. ubi prope finem, quale inquit ſimile eſt quærere quidnam vnius cauſa ſit, & ut vnum ſit; unum, enim quiddam, unumquodque & quod potentia, & quod actu, unū quodammodo eſt; quare nulla alia cauſa eſt, niſi ſi quid fuit tanquam ex potentia in actu mouens; en ut uocat unum ſimpliciter, quod aut per materiam, aut per formam unū eſt; ſubiungitque deinde; quæcumque uero non habent materiam, cuncta ſimpliciter entia ſunt ipſum quid; ac per ipſum quid, ſecundas ſubſtantias ſine dubio intelligit, hoc eſt genera & ſpecies & definitionem ſubſtantiæ naturalis, quam in text. 12. ſubſtantiam appellauerat; definitionis autem nomine eſſentiam definitione explicatā

inter-

interpretor, quæ tota ex forma ducitur, quod colligitur ex alijs locis Aristotelis in quibus aut formam uocat quodquid, ut text.3. huius libri, aut hoc ut in tex.59. libri superioris; aut definitione tribuit munus explicãdi quodquid esse rei, hinc Porphyrius genera & species definit ea, quæ respõdent ad interrogationem factam per quid; quod si ita est, ut esse cogimur dicere, nisi velimus fuctam Aristoteli loquendi rationem immutare; manifestum ex hoc loco euadit, simpliciter entia ab Aristotele uocari secundas substantias, hoc est genera & species cathegoriæ primæ, quas & primarum substantiarum essentias nominat. In lib.9. de actu & potentia agitur maxime, quatenus in rebus Physicis reperiuntur, non quatenus in Dei, & intelligentiarum attributionem cadunt; quod constat primum ab exemplis ipsis ab Aristotele adductis; deinde ab eiusdem diserta oratione in text.7. quæ habet nomen actus multis quidem rebus conuenire, sed maxime tamẽ motus proprium dici; actus enim & potentia qua motus ratio continetur, sibi mutuo respondent vt correlatiua; ac præterea à tertio li. Phys. in quo motus definitur actus entis in potentia, quatenus in potentia; actus etenim & potentiæ nomina nisi primò & per se ad res Physicas referantur reprehensione digna est ea definitio communibus vt pote, & generalibus uocibus comprehensa; nam quod rei definitæ proprium nomen in ea contineretur? num intelligentiarum actus, si quidem eæ potentiam quoque habent non poterunt appellari actus entis in potentia, quatenus in potentia; ad ipsas quoque actus & potentiæ nomina proprie si referuntur? hinc text. 11. eiusdem noni libri, cum autem inquit de potentia, quæ secundum motum dicitur, dictum sit; de actu determine-

mus oportet; & in text. 17. nihil uero potentia æternum eſt. quo ex loco ita deduco argumentum, actus & potentia ſunt oppoſitæ differentiæ idem commune diuidentes, ſi quod igitur potentia ſignificatur, æternum non eſt, neque id quod actus appellatione exprimitur; æternum erit; quod non ideò eſt uerum: quia nomen actus per ſe ſignificet corruptionem; ſed quoniā actus natura primo agnita eſt in rebus caducis; ad eaſque in Metaphyſicorū libris per ſe refertur; quod etiam patet ex cap. 3. libri 13. in quo ita legitur, ens eſt duplex hoc quidem actu, hoc uero materia; ſimplici actus nomine ad formam trāſlato; potentiæque ad materiam. In lib. 10. text. 4. & 5. ſcribit Ariſt. maxime proprium eſſe quantitatis ut ſit menſura. atqui id falſum eſſet, ſi his libris de omibus rebus, etiam illis quæ naturæ limites egrediuntur oratio haberetur; quoniam ſi vniuerſim penitus ſit pronunciandum nō ad naturæ cancellos reſtricta oratione; Dei maxime proprium eſt, non quantitatis omnium rerum menſuram eſſe. Idem Ariſt. lib. 11. cap. 2. omnis inquit ſubſtantiæ generatio eſt; puncti uero minime: cenſuit igitur ſubſtantiam omnem natura contineri, quæ ſola generatur. & ca. 7. de ente per accidens ſermonem habens confundit ipſum cum ente contingenti Phyſico, quod uel fortuna eſt vel caſus; dixerat autem ante Metaphyſici intereſſe diſſerere de ente per accidens ac ſi eius munus uideri de caſu, ac fortuna agere dixiſſet; quæ certum eſt propriæ ad naturalem ſcientiam ſpectare. in cap. 9. agit de infinito, de quo fermè ad uerbum repetit, quęcumque de eo in Phyſicis diſputauerat; & quod magis vrgeat aduerſarios, infinitum ſtatuit proprium quidpiam eſſe quantitatis, ac nōnullis argumentis probat in ſenſilibus corporibus nihil

 extare

extare infinitum: quod procul esset à vero, si de infinito vniuersim & generatim disceptaret; cum etiam Deus sit infinitus ut scribitur in 8.lib. Phys. qui tamen est expers omnis quantitatis. cap. 10. redit ad orationem de motu, & mutationibus, methodum imitatus, quam in Physicis sequutus fuerat, in quorum lib. 5. agit de mutationibus, cum in 8.lib. de motu generalem tractationẽ absoluisset. cap. 11. edissent de eo, quod est esse in loco, de continuo, de contiguo, de consequenti, & alijs id genus entis Physici proprietatibus; quæ in libris quoq; Physicorum præcedenti de mutationibus orationi connectuntur. in text. 5. & 6. diuidit substantiam ita, ut nulla distributionis parte Deus & intelligentiæ contineri posse videantur: substantiæ inquit tres sunt una sensibilis, cuius quædam sempiterna, quædam corruptibilis, quam omnes concedunt, velut plantæ & animalia: sempiterna (vero cuius elementa siue unum, siue multa sint, accipere necesse est) alia immobilis, quam aliqui separabilem aiunt esse: quidam in duo diuidentes, quidam in vnam ponentes naturam tàm species, quàm Mathematica, quidam ex his Mathematica solum; illæ itaque Philosophiæ naturalis, cum motu namque sunt: ista autem alterius est, si nullum eis commune principium est; sensibilis uero substantia mutabilis est: atque ab hoc loco usque ad text. 29. de motu agitur & de substantia sensibili, quis uero illius sit orationis sensus spectare sensiles substãtias ad naturalem Philosophiã: ideas autem Metaphysico substerni, iamdiu expositum à nobis fuit. In textu quoque 27. scribitur ita; omnium itaque prima principia, quod actu primum, & aliud, qđ potentia: quas actus & potentiæ voces primo & per se res naturales significare, non ita pridem ostendimus. &

text.29. cum cathegorias recenſuiſſet;perſpicue oſtendit illis non contineri niſi res naturales cum ita ſubiungit; quæ itaque ſenſibilium principia ſunt,& quot, quove modo eadem & diuerſa;dictum eſt: cum uero poſt in eodem libro de Deo & intelligentijs diſputationem ſuſcipit: id factum eſſe occaſione eius orationis, quã ante de motu habuerat: quòd motus, ortusque & interitus rerum nequeant æterni eſſe niſi ſit primum aliquod mouens; ac niſi ſingulæ cœlorum ſphœræ ab intelligentijs ſeparatis in orbem circumferantur,perennique agitatione cieantur,patet ex locis ſequentibus primum ex text.30.proxime ſequenti qui ſic habet. cum uero tres ſint ſubſtantiæ duæ quidem naturales,alia autem immobilis, de hac eſt dicendum, quòd neceſſe eſt perpetuam aliquam ,& immobilem ſubſtantiam eſſe:etenim ſubſtantię primę entiũ ſunt, & ſi cunctæ corruptibiles,omnia corruptibilia ſunt: at impoſſibile eſt aut generari motum aut corrumpi;nam ſemper erat;neque tempus,cum non ſit poſſibile prius & poſterius eſſe tempore non exiſtente; & motus ſane ita continuus eſt,ſicut & tempus,aut enim idem, aut quædã ipſius motus paſſio eſt: motus uero non eſt continuus, præter hunc qui ſecundum locum,& hunc; qui circularis eſt.&c.deinde ex text.41.cuius hæc uerba ſunt:quòd igitur eſt quædam æterna,immobilisque ſubſtantia,& à ſenſibilibus ſeparata,conſtat ex dictis: oſtenſum eſt autem, quòd nec ullam magnitudinem poſſibile eſt hanc ſubſtantiam habere,uerum impartibilis, indiuiſibilisque eſt, nã infinito tempore mouet &c. demum ex text. 43. in quo principium inquit ac primum entium tum per ſe, tũ per accidens immobile eſt:mouens autẽ primo, ſempiterno, & uno motu; quæ omnia ad verbum repetita videri poſ-

ſunt

sunt ex octauo libro Physicorum: atqui hæc ad nostræ sententiæ demonstrationem dicta sufficiant.

Reliquum est modo ut illorum argumenta diluantur, qui opinioni nostræ dissentiunt. quod ex primo & secũdo capite primi libri adducebatur, ita exponitur: cognitio substantiæ naturalis ei cognitione comparata quę aut accidentium est inhærescentium, aut subiectarum substantiarum; illarum est primum principium: quòd quemadmodum sæpe fuit inculcatum res ita se habeat ad esse, ut se habet ad cognosci; accidentisque esse, sit inesse substantiæ, & substractæ species; corpora inquam naturalia è generis natura tanquam è latibulo in lucem prodeant: ut necessarium sit, quicumque illorum scientiam quęrit, generalem substantiæ notionem ei prius perspectam esse; cæteræ scientiæ aut sunt de accidentibus, aut de priuatis substantijs; unicaque est huius facultatis prærogatiua, ut uniuersalem substantiæ rationem disquirat: erunt igitur Metaphysica enunciata communia uelut totius scientiarum cyclopediæ rata & certa principia, neque uerò nouũ est in Aristotelis doctrina ut res Physicæ absoluta appellatione principia nominentur. primo cœli cap. 6. non solũ secundum sermones, qui à nobis de principijs dicti sunt: quibus uerbis constans est interpretatio omnium Peripateticorum significari libros de Physico auditu; cum uero ijsdem locis subditur bifariam scientiam aliquam uocari diuinam, & quia Deus eam maxime habeat, & quia diuinorum sit, Metaphysicorumque facultatem solam vtrumque consequutam esse, quòd Deus rebus omnibus tum causa, tum principium quoddam videatur, sciẽtiamque eiusmodi aut solus, aut præcipue habeat: id minime sententiæ nostræ repugnat: enimuero quod ad res ipsas

attinet

attinet Physicas, ab Aristotele diuinas vocatas, id nullam vim habet: etiamsi ad coniunctionem quam cum Deo & intelligentijs abstractis habent, ut sint, ut moueantur, vt conseruentur, ut ordinentur, vtque æternitatem nanciscantur, quæ his libris exponuntur, nequaquam referrentur; cum sit mos Aristoteli antiquus res quasuis præstantes diuinitatis titulo insignire. in 2. cœli text. primo, & in 12. Met. cœlos diuinos vocat. in primo cœli tex. 13. & 14. ex his igitur inquit manifestum est, quòd esse nata est quædam substantia corporis alia, præter eas, quæ hic sunt cōsistentes diuinior, ac prior his omnibus; in primo Phys. text. 81. de forma naturali orationem habens, existente inquit quodam diuino, & bono, & appetibili, aliud quidem contrarium ipsi dicimus esse, aliud autem quod natura aptum est appetere, & desiderare ipsum secundū suam ipsius naturam. & 7. lib. de moribus ad Nicomachū cap. 1. quoniam uero rarum est ut vir diuinus sit, quemadmodum Lacones cū aliquem ualde admirantur, diuinus inquiunt uir est; & Alcinous in libello de doctrina Platonis humanæ cuiusdā virtutis generi diuinitatis epitheton tribuit. quod uero spectat ad Deum ipsum, contrario modo erat colligendum, nam si de Deo agitur in Metaphysicis ut causa est & principium entis Physici, nō potest Metaphysicorum scientia à Physica ob hanc causam diuersa censeri; quis enim à causis aut principijs sciētiarum distinctionem sumpsit, ac non potius a subiecto genere, & ab ijs quæ sub genere subiecto velut partes collocantur? quis cum Arithemetica Musicam aut cum Geometria Astronomiā cōfundat, quia Musicę & Astronomiæ principia ab Arithmetica & Geometria tanquā à proprijs locis petantur? at obijcies non solam futuram

Metaphy-

Metaphysicorum scientiam diuinam, si alia supersit scientia, in qua de Deo vt de subiecta materia agatur. Respondeo id minime consequi; quoniam impossibile est naturalibus nostræ intelligentiæ viribus priuatam ullam de Deo & intelligentijs separatis scientiam constitui, cum ijs exceptis attributis, Dei & intelligentiarum, quæ à cōparatione quam habent cum rebus natura constantibus ab humana mente eliciuntur; ipsorum reliqua aut incertissima sint, & in profundum obscuritatis puteū demersa; aut ineptis, & infirmis negationibus pronuncientur, quæ nisi ad affirmationes reducantur, nequeunt scientiam gignere, quæ ab Aristotele describitur in libis de demonstratione; quid vero per aientes enunciationes de Deo & intelligentijs effertur quod vocibus non constet per remotissimas trāslationes a caducis, & nostratibus rebus ad ipsa difficillime traductis? num commodata & uelut mutuo accepta vocabula propriam & peculiarem poterunt doctrinam efficere? num ante omnem demonstrationem prænoscenda non sunt vocum significata, ex quibus demonstratio construitur? significata inquam non Metaphorica, & translata, sed propria, aut quæ saltem ad propria referri minimo negotio possint? diserta sunt Arist. verba in primo lib. posteriorum analiticorum tex. primo omnis doctrina omnisque disciplina intellectiua ex præexistente fit cognitione; & text. 2. dupliciter autem prænosse est, quædam enim esse, quædam quid dictu significent, quædam utroque modo antea percipiamus oportet: num nycticoracis oculus veræ solis claritatis uel tantillum percipiet unquam? aut num mens nostra non se habet ad diuina ut oculi nycticoracis ad lumen solis? num si certi quidpiam de Deo percipere per se homines

possent,

poſſent, quicumque mortalium de diuinis rebus plurima dixerunt vt Heſiodus, Demodocus, Minos Cretenſis, Meleſagoras Eleuſinus, Epimenides, Ariſteas, Socrates, externo & ſe afflatos numine, & incerto furore correptas mentes habuiſſe, vel à Vate dediciſſe confinxiſſent? hinc omni literarum genere author quidam politiſſimus de Deo inquit & rebus diuinis nullam arbitror homini conceſſam eſſe ueram ſcientiam; de Deo enim tantum ſomniare videmur, quod egregie expreſſum eſt ab Homero, cum ſomnium Agamemnoni miſſum Iouis finxit nunciũ eſſe; quicquid enim de Ioue cognoſcimus ſomno ſimillimum eſt; at rurſus inſultabit aliquis, ſi de Deo nequeat propria ſcientia conquiri; neque eam cognitionem certã eſſe poſſe, quæ de Deo & rebus diuinis in aliena ſcientia docetur; cum vtrobique eædem noſtræ ignorantiæ cauſę ſubeſſe uideantur, cui ſic ſatisfacimus, diſſimilem, ac minime parem rationem eſſe; quoniam ſicut ex Ariſtotelis ſententia in tex. 2. primi lib. de demonſtratione; quæſtio quæuis propria, antequam demonſtretur præuiam ac velut præcurrentem notitiam requirit, de ſubiecto quidem an ſit, & quid ſignificet de prædicato vero duntaxat, quę ſit ſui nominis ſignificatio; ita res quæuis ut propriæ ſciẽtiæ ſubiecta materia cenſeatur, certiori ac magis exquiſita notitia præſcribi debet, quàm ſi ad alienæ ſcientiæ ſubiectum referretur, ac tametſi utrinque uocis ſignificatio eſt prænoſcenda, ea tamen inquam cætera uniuerſa retexuntur tanquam in primum principium; proprijs & certis uocibus conſtare debet, ne ſcientiæ moles, quæ ſibi tota innititur, leuiſſimo de in ambigui uocabuli uéto corruat, naufragiumque patiatur; cum & uox tranſlata non ſubſtantiam, ſed comparationem rei ſignet, & cum

quic-

quicquid alieni ædificij columen & fundamentum futurum est propriæ stabilitatis fulcro sustineri debeat, non alienæ, & aduentitiæ vt Metaphoricas & trãslatas uoces: ne illud præterea addam quod penè calamo exciderat; impropria nomina in breui demonstrationũ ductu haud ita magnum periculum habere; aliò hoc est ad origines translationis defixis oculis; ut cum ipsa sibi in luculento & prolixo demonstrationum anfractu libera relinquuntur; Quod in Aristotelis oratione adijciebatur scientiã eiusmodi Metaphysicorum nimirum facultatem aut solum aut maxime Deum possidere minus opinioni nostræ negocij facessit, quàm quod proximè fuit refutatũ; quoniam cum nihil in nobis æque ad liberam & phantasmatum spectis solutam intelligentiarum contemplationem accedat, ac sapientiæ habitus, quo maxime a sensilium vmbris in ea quæ intelligibilia sunt abducimur, in ipsa nempe prima omnium vniuersalia, quæ longissimis abstractionis interstitijs à sensuum obiectis separãtur; quamuis sapientiæ parte plus cæteris rebus, quæ in nobis insint inconcretis mentibus efficimur similes; magis tamen ea quæ omnium suprema est, ea inquam quæ Metaphysicorum libris comprehenditur: ridiculumque est putare ob id Deum Aristotelis opinione solum hanc sapientiam tenere, quòd solus se suaque nota & prospecta habeat. quasi nequeat nostrę vis intelligentiæ in cuiusuis rei contemplatione, quam pure & sincere calleat Deo assimilari. hinc 12. li. text. 39. vita qualis nobis pauco tempore optima Deo est; ac non multo post, si igitur ita bene se habet Deus semper, ut nos aliquando; quibus locis de Dei speculatione absolute præter omnem dubitationem loquitur, Aristoteles, & lib. 10. Nicomachion c. 8. quare inquit

Dei operatio cum beatitudine excellat contemplatiua erit; & ex humanis ea erit fœlicissima, quæ huic maxime est cognata, dijs enim beata tota vita est, hominibus autē eatenus, quatenus similitudo quædam eiusmodi operationis in ipsis inest; at cæterorum animalium nullum est fœlix, propterea contemplationis particeps nullo modo est; quousque igitur protenditur contemplatio, cousque etiam fœlicitas se extendit, & quibuscumque magis inest contemplatio, & magis quoque inesse fœlicitatem constat, atque illam quidem non ex accidenti, sed ex ipsa contemplatione, ipsa enim per seipsam est pretiosa; ac paulò post in fine capitis qui inquit ex intellectu operatur, huncque excolit, atq; optime afficit, is esse Deo charissimus videtur, nam si aliquam humanarum rerum curam dij habent, sicut videtur; consentaneum est illos re illa, quæ optima est, atque ipsis maxime cognata delectari; qui est, intellectus, eosque qui eam maxime amant, & honorant, remunerari; utpote qui eorum, quæ ipsis sunt amica curam habeant; recteque & honeste agant; hæc autem omnia sapienti maxime inesse, obscurum non est; is igitur est Deo charissimus; eundemque esse etiam fęlicissimum verisimile est; quare ita quoque efficitur, ut sapiens maxime fęlix sit. &c.

Quod ex text. 15. tertij libri colligebatur, & ipsum nullam uim habet; quoniam ut notatum fuit, secundæ substantiæ comparatione primarum substantiarum, & ideæ rerum singularum comparatione nuncupationē habent non semel apud Aristotelem entiū æternorum, immobilium, insensilium & incorruptibilium.

Textus primus libri quarti minus nostram sentētiam conuellit; quòd ut haud ita pridem demonstrabamus en-

tis

tis simplici & absoluta appellatione nihil aliud Aristoteles & Philosophi ueteres intellexerint, quàm quod rerũ Physicarum proprium est, quod tamen in Physicis non exponitur ut ens est, sed ut mobile est.

Quod ex text. secundo adducebatur eiusdem libri, facile refringitur ijs quæ diximus cum substãtiæ rationem; & significationem declararemus ad solas res naturales restringi, separatisque mentibus minime communem esse.

Quod in text. quarto quarti item libri scribitur tot Philosophiæ partes esse quot substantias, tametsi nullum nostræ sententiæ negocium facessit, ut ex ijs patet, quæ ante diximus; dignissimus tamen locus est, qui à nobis explicetur, quòd eo æque quæstio contineatur de Physica, & Metaphysica num una genere, an vna specie scientia sint; ac num substantiæ species eiusdem speciẹ subiecti partes integrantes censeantur, quod Physicorum, & Metaphysicorum libris exponitur; an eiusdem sint partes subiectiuæ, & subalternatæ species; fieri enim non potest, quin alterutro modo statuatur; si substantiæ spectentur, quatenus sub scientiam cadunt, nõ ut ex propriæ naturę vel genericæ uel specificæ proprietate diuiduntur. Aristoteles lib. 1. posteriorum analiticorum cap. 23. una inquit scientia est, quę unius generis, quęcumque ex primis componuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se; quorum uerborum sensus esse Themistius ait scientiã unam dici quæ affectiones per se vnius subiecti generis cõtemplatur; atque vnum genus uocari; siue affectiones, siue subiectam materiam, siue eius partes & species, generis nomine interpreteris cuius eadem prima princ pia sunt; vnamque scientiam Geometriam & Stereometriã

eſſe quod ita probatur ab acuto Apollinari; iiſdem ſcientiæ diſtinguuntur, quibus uariè giguuntur; quæ enim indiſtincta ſunt, nequeunt non eundem habere generationis modum; at ex principijs gignuntur deducunturque ſcientiæ, ex iiſdem ergo diſtinguendæ erunt; ſecus alij, ſcire inquiunt, functio quædam eſt mentis in res ſcibiles; ut igitur à terminis motus omnes ſpeciem ſumunt, ita ſcientiæ ab obiectis propriæ naturæ accipient diſtinctionem: & quidem non inſulſe, niſi ulterius animi ſpeculatione proueheretur; dicunt enim rationem obiecti formalem, quà ſcilicet ſcibile uocatur, haud in rebus ipſis eſſe inſpiciendum, ſed in mentis abſtractione, quæ ut uaria eſt, ita uariam ſcientias quoque naturæ diſtinctionem ſortiri; ſed hallucinantur Themiſtius & Apollinaris, quoniam non differt ſpecie rana è putri limo generata, ab ea quam alia rana genuit; eademque natura eſt ſcorpionis arte, & ſponte geniti; cùm non alio diſcrimine inuicem ſeparentur, quàm eo quod externum eſt, longeque ab eſſentia diſſitum; aduerſanturque diſertæ Ariſtotelis orationi in eodem lib. ca. 9. non augeri demonſtrationes per media, ſed eo quod aſſumitur demonſtrandum; cui tollendæ contrarietati haud ſatis eſt Franciſci Toledi diſtinctio, poſſe unius rei plures eſſe demonſtrationes in diuerſis generibus cauſarum, at non in eodem cauſæ genere, & æque immediate; quoniam res eadem ut hominis perfectum ſtatum eſſe, congruenter naturæ viuere æque per omnes cauſas in diuerſis ſcientijs, in naturali nimirum, moraliq; Philoſophia demonſtrari poteſt: cœlique figuram rotundam eſſe ita demonſtrabit Phyſicus ut Mathematicus ex circuli capacitate pariter argumento ducto; atque eius motus præſtantiam, qui in orbem eſt iiſdem prorſus ar-

gumentis demonstrabit, mechanicarum artiũ professor, & is qui cœlorum naturam contemplatur; neq; mediata, aut immediata conclusionum cũ principijs, effectuumque cum causis connexio quidpiam ad scientiarum facit distinctionem; quoniam scientia quæuis unam solam omnino immediatam demonstrationem habet, eam nimirũ, quæ à subiecti natura & definitione deducitur; aut ad summum duas, si primæ proprietatis definitionem contendas non esse ad subiecti definitionem referendam, ut potissima in demonstrando iudicetur; id tamen nullo est impedimento quo minus cæteræ illius scientiæ demonstrationes, quæ omnes mediatæ sunt, unam scientiam facere dicantur; & æque ad eandem facultatem pertinere censeantur; & eæ quæ longius à primis demonstrationibus absunt conclusiones; nõ minus indiuidua & simplici scientiæ ratione continentur alijs quæ ijsdem propius accedunt; nec igitur in diuerso scientiarum campo immediatæ uel mediatæ demonstrationes ex ijsdem principijs petitæ quidpiam fecerint ad illarum distinctionem; quid uero magis ridiculũ eo, quod à Themistio scribitur Geometriam & Stereometriam eandem prorsus scientiam esse? quis dixerit eidem facultati vnà subesse practicum, theoriticum? quis nescit diuersos describi in sexto libro moralium ad Nicomachum artes & scientiæ habitus. quod alij de obiectorum penes abstractionem distinctione proferebant, non minus friuolum est; quoniam res scibiles ab ijs abstrahuntur, quæ præter illarum naturam sunt; secus enim falsa & mentiens abstractio esset, mentis opera facta, res magna confusione implicitas sedulò secernentis, ac disiungentis, singulas ut recte intelligat, nudeque & sine fuco apprehendat, quoniam quæ inuicem

essen-

essentialia sunt, nisi essentiali rōne spolient, quod impossibile est cum idem non possit à seipso separari; nequeūt vlla mentis abstrahentis anatomia, quantumuis minutissima mutuo deuelli, ac velut membratim discindi; at separationem huiusmodi a re sumptam prorsus aduētitia, & externa; naturalis constitutio præcedit; secundum quā res ipsa obiecta cum esse, tum una esse dicitur, à cæterisq; distingui; hinc igitur, non inde obiectorum distinctio sumenda erit; quæ sub scientiarū contemplationes cadunt; scio illicò responsuros mihi res obiectas distingui per abstractiones non ut res sunt, sed ut intelligibiles sunt; non idemque esse rerum, & intelligibilium genus; tametsi eadem sæpe utroque contineantur diuersa ratione: sed mehercule falluntur: tum quia abstractionis modus scientiæ cuiusuis ex rei obiectæ natura sumitur, vt aiunt quatenus res est, non ex incerto abstrahentis arbitrio, ac ob id nobiscum necesse est eodem idest in rem ipsam relabantur: tum etiam quoniam nisi intelligibilis ratio, entis affectio esset, resque omnes per se essent intelligibiles, ex abstractione non intelligibilitatem capientes, sed modū, quo facilius depulsa confusione comprehenduntur, menteque percipiuntur; haud possent omnibus modis, & secundum omnem rationem intelligibiles censeri seu per se, seu per aliud; cum id quod externe accidit, nunquam rei, cuius accidens est partes & modos omnes subeat, ut patet inductione. quis enim corui nigredinem eiusdem duritiei, voracitati, volandi potestati, & reliquis quibus præditus est accidentibus accidere existimet? rationeq; demonstratur huiusmodi; accidens accidenti nō accidit; accidenteque accidens minime afficitur, haud igitur si intelligibilitas aduentitium quidpiam esset, quidpiam unquam

quam intelligeretur præter id quod intelligibilitatis uelut proprium subiectum cõstitueretur: deinde abstractio negatio est quædam; intelligibilitas uero aiens est, ob id Arist. actus inquit est ratio intelligendi, & cognoscendi, vt minueret actum quemque suam consequi intelligibilitatem quà actus est: Nos cum Philosophiam omnem in naturalem, practicam, & contemplatiuam diuidebamus; intelligẽdi modos spectabamus qui varij sunt pro ea, quę humanæ intelligentiæ in contemplando infirmitas, & imbecillitas inest; actuumque occultam quandam, sed communem diuisionem consequuntur; actus enim ab externis elucescens, quæ antecędit Philosophiæ est naturalis; actus ab externis elucescens, quæ consequitur practicæ est facultatis; actus seipso refulgens, proprius est contẽplatiuæ; ab externis inquam elucescens, non inopia intelligibilitatis propriæ, sed humanæ contemplationis proprietate: quæ tamen præter illas duas haud alias species habet, ut sit opus in scientiarum diuisione, alio quàm ad res obiectas ut res sunt, intentam intellectus aciem habere; huc respexit Arist. cum scripsit alia esse nota nobis, alia nota natura; ad mentis inquam nostræ in actuum fulgore nunc clarius intuendi, nuncq; caligandi noctuarum instar consuetudine; qua de re fuse nos in libro de Hominis natura: Philoponus incertum admodum est num ad Themistij interpretationẽ accesserit, vel propria vsus fuerit; Nos Aristotelis locum ita interpretamur; una scientia est, quæ est vnius generis; unum uero genus faciunt illa, quæ rei eiusdem vel principia sunt, uel partes, vel affectiones; quod etiam ante dixerat in c. 8. quod uero subditur (diuersæ vero sciẽtiæ sunt, quarum principia ex eisdem non sunt, nec ex vnius principijs principia alterius

terius proficiscuntur) itá exponitur; diuersæ scientiæ censentur quarum neq; principia eadem sunt, ex ijsdemque terminis non fiunt incomplexis,neque ea quæ ex principijs manant,partes nimirum,& attributa; quæ subinde atque ex subiecto genere sensim euoluto eliciuntur; aliorum, quæ elicienda sunt, principia existunt; nam si in postrema contextus parte principiorum nomine primas scientiarum dignitates intelligas; mendacij Aristotelem authorem facis, cum falsissimum sit illas proprie diuersas scientias appellari, quæ ita se habent; ut unius principia ab alterius principijs non proficiscantur; quòd diuersæ sint etiam illæ, quarum principia mutuo alia ab alijs pendent;quid enim? num Philosophia moralis, & Medicina à Physica diuersæ non sunt? num Astronomia nō differt à Geometria? num omnes non distinguuntur a Metaphysicorum facultate, cuius tamen principijs tanquam sacræ anchoræ semper innituntur? prorsus ergo una specie scientia censebitur, quæ unicum,& continuum principiorum, partium, affectionumq; eiusdem generis subiecti ordinem habent: methodo enim plures de re eadē demonstrationes in unum scientiæ habitum coalescunt; non simplici aliqua; & uelut late fusa qualitate; quid uero est, quod scientiæ tribus illis partibus constantem ordinem uel rumpat,uel teneat? quis erit affectionum,& partium subinde nascentium finis? dicam affectiones quædam rem consequuntur absolute, quædam non nisi ut rei alicui coniuncta est; sibi externæ,& aduentitiæ;cuius rei causa est ipsum naturæ institutum,quo plerumque fit,ut ex malo bonum, ex interitu ortus, atq; ex eo quòd accidentarium est, ut fortuitum, quidpiam, quod constantem essentiam habeat,enascatur;non ob nouam in re

enatam

enatam uirtutem, ſed ob ſuppeditatam ei, ſuggeſtamque materiam, in qua latentes uires exerit, uelutique exercet: quæ materia tametſi extra eſſentiam eſt ſenſim ſeſe promouentis, & proferentis Entelechiæ, neceſſaria tamen & eſſentiali colligatione connectitur effectui ab Entelechia edito; ita cum pyramidi radiorum viſualium acceſſio fit, miri effectus viſuntur, qui tamen præter pyramidis naturam ſunt; & numero ſi ſonus coniungantur qui alienam ab eo naturam habet, iucundiſſimi, & auribus gratiſſimi cantus fiunt, quos nemo fortuitos, & aduentitios appellarit: herbæ item & antidota quæ hominis naturæ extranea ſunt, humano admota corpori, ualetudinem ei & ſanam cõſtitutionem adducunt, ſicut cœli aereis, rerumq; noxiarum iniuriæ, eidem ægritudines afferunt, quarum expoſitio Medici propria eſt, non Phyſici, cum ab aduentitio cauſarum concurſu fiant; ſitque Phyſico ſatis imbecillitates humanæ conſtitutionis narrare quę intus recluſam cauſam habent, ac non foris veniunt: cum igitur eæ quæ primis ſubſequuntur affectiones ad nouam materiã adſciſcuntur, ex eaque eſſentialem accipiunt proprietatẽ; nouo exorto genere nouum quoque neceſſum eſt ſcientiæ habitum exoriri, ut cum humanis actionibus circumſtantiarum externarum acceſſione facta, ſibi ipſis Philoſophi neceſſitatem impoſuerunt nouam a naturali moralem diſciplinam excogitandi: aliasque ſimili ratione ſcientias conſtituendi: tametſi certum eſt non omnes reperiri potuiſſe, quis enim hactenus ſcire potuit qua figura, & ſpacij proportione ſonituum uoces in auditum recipiantur? quis conſonantium, reſonantium, circumſonantium, & diſſonantium uocum rationem reddere ad vnguem potuit? quis modum intellexit, quo emiſſæ uo-

ces, repercuſſæ pilæ imitatione in uociferantis autem redeunt? quis modũ exquiſite nouit ordinis, quem natura ſeruat in rebus formandis ex varia, ſed definita, & ſcibili quatuor elementorum cõmixtione? his Naturæ arcanis ſedulo inueſtigandis iamdiu nos indefeſſis vigilijs operã nauamus, atque utinam optimę mentis ſtudioſis, is qui pręciſe, ac minime [illegible] veritatis author eſt (vt Themiſtij, & Cuſani Cardinalis utar uocabulis) propitius adſit, ex animoque ſuffragetur, nos certe quod noſtrarum partium eſt, nunquam pigebit maximos in communem vtilitatem labores & pericula ſubire, dum noſtrarum lucubrationum iudices meminerint, rebus arduis & magnopere difficilibus vel initium dediſſe præclarũ & egregium videri; ſed redeat eò, vnde diſceſſerat oratio, ac ſemel ſtatuatur Phyſicorum, & Metaphyſicorum ſcientia, genere ne an ſpecie una ſit; qua de re hoc noſtræ tenuitatis iudicium eſto: utramque ſpecie vnicam eſſe, quòd de ſubſtantia agat, aut quatenus ſubſtantia eſt; aut quatenus motus initium præbet; conſequentium nunquam affectionum expoſitione per aduentitiæ rei interpoſitionem interrupta; neque alia extare poteſt præter Phyſicis & Metaphyſicis libris comprehenſam doctrinam de ſubſtantijs ſcientia; cum reliquæ omnes facultates priuatim circa accidentia verſentur, ut pridem dicebamus; quod verò hactenus plerique ſubiectum pro obiecto accipere, manifeſtum errorem habet; differt enim ſcientię obiectũ ab eiuſdem ſubiecto; ſubiectum dicitur, quam alij ſubſtratam materiam appellant, ex qua reliqua ſcientię capitibus expoſita, velut ex proprio, & primario fonte deducuntur; in eamque vt in primum principium referuntur; obiecti ratione continentur præter ſubiectum; ſpecies

affe-

affectionesque & principia subiecti; ordoque & methodus quædam obiecti voce significatur; quæ specie unica esse potest, tametsi subiectum, genere multiplex existit; cum tritum sit, relationis distinctionem ex constantiori semper, & magis subsistente fundamento assumendam esse; particulariaq; præ uniuersalibus, hoc est præ ijs quæ magis communia sunt solidiori semper & magis expresso modo existere; vt docetur ab acutis Dialecticis; ac sciētiæ limitibus haud contineri vnam aliquam, & simplicem rei alicuius notitiam; & comprehensionem; sed rerum disiunctim cognitarum comparationem quandam, uel ex eius scientiæ ratione, quæ unica acquiritur demōstratione perspicuum est, scire etenim definitur rem per certam & necessariā causam cognoscere; at quid est rei per causam cognitio, nisi comparatus quidam in rem & rei causam intuitus; quo hæc illi lucem, & perspicuitatem afferre dicetur? conclusioni inquam demonstrationis, non conclusionis subiecto; cum is totus complexus, quo demonstrationis ductus cōcluditur appelletur τὸ ἐπιστητόν, hoc est scibile; non eius pars tantum aliqua, seu subiectū sit, seu attributum; cui uero obscurum sit, scibile, & obiectum scientiæ idem prorsus significare, quemadmodum sensile, & obiectum sensus? quod ex text. 7. quarti libri contra nostram sententiam adducebatur; maiorē fateor prima frontis specie uim habet; ijs enim uerbis; cum autē aliquis adhuc superior naturali sit, (natura namque unū quoddam entis genus est) illius uniuersalis, & circa primam substantiam speculatiui profecto fuerit de his etiā consideratio; est autem Physica, sapientia quædam, sed non prima; euinci prorsus, expugnarique videmur: cum præsertim primæ substantiæ nomine Deum opt. Max. in-

telligat, ut colligitur ex lib. 12. Met. tex. 44. qui ita habet, quòd igitur ſubſtantiæ ſunt, & harum quæ nam prima, quæve ſecunda ſecundum eum ordinem, quē, & latrones ſyderum habent, patet: ut appareat Dei naturam per ſe ad Metaphyſici munus pertinere; naturalisque Philoſophiæ ſubiectum genus multis partibus infra Metaphyſicorum materiam eſſe; contra quam à nobis aſſerebatur. haud tamen ita eſt; res eadem quatenus eſt, ſubſtantia appellatur; quatenus vero motus & ſtatus principium exiſtit, natura dicitur; eſtque ſubſtantiæ ratio naturæ notione prior, quoniam illius nomine eſſe, & eſſentia ſignificatur, huius autem uoce rei comparatio exprimitur ad externa accidentia; ut nemini mirum uideri poſſit, ſicut ſubſtātia naturam præcedit, ita Metaphyſicum Phyſico ſuperiorem eſſe, tametſi rem & materiam eandem propoſitam habeant; at obijciet aliquis, ut erit natura genus quoddam entis, hoc eſt ſubſtantiæ ſpecies; ſi res eadem diuerſa ratione & ſubſtantiæ & naturæ appellationem habet, cum nihil ſui ipſius pars & ſpecies cenſeri poſſit? naturam uero Ariſtotelem ſubſtantiæ, ſeu entis priuatam quandam ſpeciem feciſſe, tum palàm contextu hoc declaratur, tum etiam tex. primo & 2. ſexti libri, quorum illo, ita ſcribitur § cum autem Phyſica etiam circa quoddam entis genus ſcientia ſit §; textu uero ſecundo, hæc oratio legitur § quòd ſi quippiam eſt immobile & perpetuum, & ſeparabile à materia, patet quòd ſpeculatiuæ eſt cognoſcere, & non Phyſicæ; de mobilibus namq; quibuſdam Phyſica eſt, nec Mathematicæ, ſed prioris ambabus. § eodem etiam tendunt illa, quæ haud multò poſt ſequuntur § ſi igitur non eſt aliqua alia ſubſtantia, præter eas, quæ natura cōſiſtunt, Phyſica profectò prima

ſcientia

ſcientia eſt, quòd ſi eſt aliqua ſubſtantia immobilis, hæc prior, & Philoſophia prima, & vniuerſalis, quòd prima, & de ente prout ens eſt, ac quid eſt, & quæ ei inſunt pro vt ens eſt ſpeculari huius eſt: § quibus omnibus haud eſt difficile reſpondere, ſi id in memoriam reuocetur, quod ante diximus, naturæ eſſentiam minime quidem à ſubſtantia diuerſam eſſe; connotare tamen per nominis ſuppoſitionem primas, ſingulares, & indiuiduas ſubſtantias; quibus ſolis morem habet Ariſtoteles motum, ſtatum, mutationes, actionesque & uarias functiones tribuendi; quod inane eſt pluribus ex eius libris citatis locis demonſtrare, qui legentibus ultrò ſeſe obuios præbent: Natura igitur qua propriæ eſſentiæ finibus coercetur, eadem eſt ſecundis ſubſtātijs, quæ & primæ ſunt, ac τὸ χωριστὸν εἶναι καὶ ἀκίνητον habent, ut luculenta à nobis oratione oſtenſum fuit: qua vero primas & ſingulares ſubſtantias nominis connotatione quadam ſignificat, entis pars eſt quædam: quòd primæ ſubſtantiæ ſecundis ſubijciatur: quæ diſtinctio non poterit viris doctis & eruditis non magnopere probari, ſecum ſi animo expenderint, nouam ab Ariſtotele vniuerſalium introductionem natā eſſe, ac pleroſque ex antiquis Philoſophis ſingularia, & ſenſilia tantum cognouiſſe, Pythagora, & Platone exceptis: quorum is numeros, hic ideas fluxui rerum caducarum oppoſuit, atq; huc illæ voces referuntur. § ſi igitur non eſt aliqua alia ſubſtantia, præter eas, quæ natura conſiſtunt, hoc eſt præter ſingulas, & indiuiduas, Phyſica profecto prima ſcientia eſt, quas ortui & interitui obnoxias res ſingulares ſubſtātia ſecunda, ipſa nimirum natura cum præciſo accepta ſignificato non connotat, communis, generalisque & uniuerſalis appellatur: his ſecundis ſubſtantijs res ſingulæ ſi

quid.

quid diuinum habent, acceptum referre debent; ad ſecundarum ſubſtantiarum conſeruationem inſtituta eſt à natura, perennis indiuiduorum orientium, & intereuntium viciſſitudo; ſubſtantiarum huiuſmodi beneficio remotiſſimis differentijs diſcreta indiuidua in unam, eandemque ſpeciem conſpirant, fœcundiſſimi virtutum, poteſtatumque ſeminarij implentur; (quid enim? num indiuiduum per ſe ſpectatum aliam quàm exiſtendi & ſubſiſtendi facultatem habet?) edendis functionibus ad proprios fines, ad ipſaſmet nimirum ſecundas ſubſtãtias diriguntur, in ſumma confuſione conſtantem ordinis rationem nanciſcuntur; ac ſecundis ſubſtantijs deniq; velut firmæ baſi, & inconcuſſo fundamento adnituntur: neque mirum ſit tanta Ariſtotelem harum ſubſtantiarum, quas ſecundas uocat, captum plerumque admiratione eſſe; vt præclariſſimis atque honeſtiſſimis titulis illarum præſtantiam commemoret, cum ſecundo de gener. anim. cap. 3. tanquam miraculo obſtupeſcens animalium ſemini uim diuinam ineſſe dixerit; quia occulta, de cœloq; concepta uirtute in diuerſiſſima, ac uarie admodũ diſtincta membra coaleſcat; moleque exiguum, in magnam euadat corporis vaſtitatem: quod uero ad illam text. 7. quarti libri particulam attinet ; & circa primam ſubſtantiam ſpeculatiui ; nihil ea noſtræ opinioni repugnans continetur; ꝗ vt magno rationum apparatu demõſtrauimus veriſſimũ ſit neque motus, neque actus, naturaliũ rerum intelligi perfecte, & pernoſci integre poſſe, donec ad primam omnium, & cunctis modis immobilem ſubſtãtiam qui Deus eſt, tandem deueniatur; quod non modo in vniuerſali rerum omnium motu ab Ariſtotele fuit obſeruatum, ſed etiam in eo, qui animalium proprius eſt: ita enim ſcribit

in cap.

in cap. 3. libelli de animalium motu. quoniam autem inanimata omnia mouentur ab altero, de eo quidem quod primò mouetur, atque semper mouetur, quo modo mouetur, & qualiter ipsum mouet primum mouens; determinatum est prius in his, quæ de prima Philosophia, reliquum autem est considerare, quomodo anima mouet corpus, & quid sit principium motus in animali; aliorum enim, præter uniuersi motum animata causa motus sunt, quæcumque non mouentur à se inuicem, propter id, quod se mutuò offendunt: qua propter & terminum habent omnes ipsorum motus: etenim & qui animatorũ; omnia enim animalia & mouent, & mouentur alicuius gratia, quare hoc ipsis cuiuslibet motus finis, quod est cuius gratia; videmus autem mouere animal cogitationem, & imaginationem, & electionem, & voluntatem, & appetitum; hæc autem omnia reducuntur in intellectum, & appetitum: etenim imaginatio, & sensus eundem intellectui locum habent; iudicatiua enim omnia sunt: differunt autẽ secundum differentias, quæ in alijs dictæ sunt: voluntas autem & ira, & concupiscentia omnia appetitus sunt: electio autem cõmũnis est cogitationis & appetitus, quare & eligibile. non omne autem excogitabile eligibile est, sed id quod est operabilium finis. idcirco tale est bonorũ quod mouet; sed nõ omne bonum est. inquantum enim gratia huius aliud, & inquantum est finis aliorum, quæ alterius gratia existunt, hic mouet. oportet autẽ ponere, & apparens bonum boni locum habere, & iucundum; apparens enim est bonum: quare manifestum est, quoniã est quidem, quatenus. similiter mouetur quod semper mouetur à semper mouẽte; & animalium unumquodq;, est autem ut aliter; idcircò & hæc semper mouentur; motus,

tus autem animalium habet finem; ſempiternum autem bonum, & verè, & primò bonum, & non aliquando quidem, aliquando autem non, diuinius & honorabilius eſt, quàm ut ſit prius. primum igitur non motum mouet: appetitus autem & appetitus cum mouetur, mouet: vltimũ uero eorum quæ mouentur, non neceſſe eſt mouere aliquid. hæc Ariſt. eo loco.

Nunc exponenda ſunt ea Ariſtotelis uerba in text. 2. ſexti libri { neceſſe autem eſt omnes quidem cauſas eſſe perpetuas, maxime vero has, hæ etenim cauſæ manifeſtius diuinorum ſunt, quare tres utiq; erunt Philoſophiæ ſpeculatiuæ, Mathematica, Phyſica Theologia; manifeſtũ eſt enim, quòd ſicuti diuinum exiſtit, in tali natura exiſtit, & honorabilliſſimam oportet circa honorabiliſſimum genus eſſe; ſpeculatiuæ itaque alijs ſcientijs præponendę ſunt, hæc vero ſpeculatiuis. } in quibus illud imprimis cõtendo cauſarum perpetuarum nomine, vniuerſales omnes rerum cauſas intelligi, quæ ſunt materia prima, cœlũ, rerum poſtremus finis; & ſubſtantiæ ſecundæ, quæ communis & ſempiternæ formæ, nullam vnquam mutationẽ ſubeuntis vicem habent; ad particulares enim cauſas ſi te conuerteris, caducas eas, & mortales vt plurimum animaduertes; per ſeparabilia vero & immobilia, quæ diuinarum rerum cauſæ manifeſtiores ab Ariſtotele appellantur; ſolas ſecundas ſubſtantias intelligi, non autem Deum & ſeparatas mentes, vt falsò Alexander exiſtimauit: tametſi enim intelligentiæ inconcretæ cœleſtium lationum ſunt cauſæ, haud tamen conſpicuæ ſunt, & manifeſtæ; cum uix vllam habeat probabilitatem, nedum certam & exploratam demonſtrationem; quod vulgò aſſeritur cœleſtes ſphæras ab intelligentijs moueri; ac certũ

eſt

est nihil, quę clare rebus causam esse ac internas formas, quas habent; quòd cum de alijs externis causis sæpissime fuerit dubitatum, cum de ipsarum origine à Philosophis quæsitum fuit; eæ nunquam in quæstionis ambiguitatem venerint; voco autem externas causas, non modo alia causarum genera, ut finem, efficiens, & materiam, quæ ab effectus natura forma longius abesse videntur; sed ipsos quoque Pythagoræ numeros, Platonisque ideas; quæ cum separatim a rebus singulis existere dicerentur; non ita manifestò illarum causæ uideri poterant, vt secundæ substantiæ, quæ ijsdem secundum essentiam inhærescunt; vt Aristoteles, & Aristotelici interpretantur. At petet aliquis, quæ nam ea diuina sunt, quorum secundæ substãtiæ manifestius causæ esse iudicantur? mea sententia est diuinorum appellatione rerum cunctarum principia contineri, quæ à secundis substantijs ducuntur; principia inquam complexa hoc est communia axiomata, & generales dignitates, quas constat fieri ex primis incomplexis, ex ipsis nimirum substantijs secundis, dictionem uero illã θεολογικὴν, vertendam censeo in dictionem θειολογικὴν: ut sit sensus tres esse doctrinas speculatiuas Physicam, Mathematicam, & Scientiam diuinorũ, respõdeatque hic locus ei qui est in cap. 2. primi libri Met. quo scribitur scientiam bifariam diuinam appellari, & quia Deus eam maxime habeat: & quia diuinorum sit; atque hanc solam utrumq; consequutam esse; Deum etenim tum omnibus causam esse, tum quoddam principium; talemque scientiam aut solo, aut præcipue à Deo possideri; moueor autem Aristotelis uerbis cum antecedentibus, tũ consequentibus; antecedentibus inquam quoniã cum dixisset, hæ etenim causæ manifestius diuinorum sunt, subiunxit immediate,

quare tres utiq; erunt Philosophiæ speculatiuæ Physica, Mathematica, & Theologia: causali illa dictione { quare } nos monitos uolens vt eam Philosophiæ diuisionem audientes, in quidpiam, quod præcesserat intentam, & defixam mentem haberemus; at diuinorum meminerat, non Dei, Thiologia igitur, non Theologia legendum est; consequentibus autem, quoniam illico subditur, manifestum est enim quòd sicubi diuinum existit, in tali natura existit: quibus verbis ob uocem illam { enim } perspicuũ fit in præcedente Philosophiæ partitione, aliquid ab eo, quod diuinum dicitur appellationem accepisse: est autẽ illorum sensus, si quid est, quod clam in rebus agens singulis, earumque principium existens diuinitatis epitheton meretur, id secundum substantiam esse, non numerũ aut ideam: de Deo id dictum putant alij, sed prorsus sine iudicio, & ratione: vt enim Deum Arist. eo loco intelligeret, quem nunquam nominauerat; ac dictio illa { talis } antecedentis alicuius sit relatiua? nũ satis fuisset ad seruandam grammaticæ relationis proprietatem Dei nomen in compositione vocis { Theologia } protulisse? notat Alexander orationẽ illam { hæ etenim causæ manifestius diuinorum sunt } in aliquibus exemplaribus ita immutatam legi { & hæc sunt causæ sensibilium manifestis } ipse vero secus etiam legit hoc modo { sunt enim causæ diuinorum, hisce, quæ sunt manifesta } quas tenuitates præter rem facerem, si longiori nunc prosequerer oratione, q̃ huiusmodi in quisquilijs parum sit meo quidem iudicio firmamenti ad Aristotelis de re maxima sensum eliciendum; illud præstare satius fuerit, docere, quæ ratio sit Aristoteleæ illius diuisionis, qua Philosophia speculatiua in Physicam, Mathematicam, & Theologiam dispescitur; vt

enim eadem Physicæ Theologia esse potest, cũ eiusdem sint membra diuisionis? Deinde vt Theologia, seu facultas Metaphysicorum a Physica non distinguetur, quæ scientia est quædam, cum ipsa sapientia sit; scientiæque & sapientiæ habitus diuersi iudicentur ab Aristotele in 6. libro Etichorum? Vt demum Philosophiæ partitio recta esse potest in speculatiuas, cum ante dixerimus, vix vllam homini concessam doctrinam esse mere speculatiuam, & contemplatiuam? quos nodos ita dissoluimus; scientia nihil aliud est, quàm rei per causas certas & necessarias quantum rei subiectæ natura patitur cognitio; id totum ad verbum trãsumptum est ab Aristotele in primo libro de demonstrat. præter id quod additum est à nobis, quan tum rei subiectæ natura patitur; quod & ipsum quoque Peripateticum est: nam in primo Etich. cap. 3 ita scribitur, exacta tractatio non simili modo in unoquoque genere exquirenda est, quemadmodum neque in artium opificijs; ac paulò post; est eruditi eatenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest; ac præter Aristotelis authoritatem in his locis, non minus luculenter eiusdem sententia elicitur ex alijs plurimis, quibus aut Physicam, aut Metaphysicorum facultatem scientiam vocauit; etenim si in scientia quauis ad vnguem certam, & prorsus necessariam causarum cognitionem requiras, solæ Mathematicæ tibi erunt scientiæ nominandæ; cæterarum cum uix vlla facultatum certa, & semper explorata ratione cõstet, quod cum diuersæ Philosophorum sectæ, tum illa Aristotelis verba ostendunt in secundo libro Met. c. primo, tex. primo, speculatio de veritate partim difficilis, partim facilis est; signum autem quòd neque satis eam aliquis con-

sequitur, neque aberrant omnes ab ea, sed quisq; aliquid de natura dicit; & paulò post; quemadmodum inquit vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt: atqui hoc modo sumpta scientia, ut sumi debet cum agitur de facultatum constitutione, quæ analyticæ artis regulis velut lydio lapide examinatur; habitus omnes rationis, qui ueritatē propositam habent; ab opinioneq; & existimatione, & fide seiunguntur, quę falsa ut plurimū pro ueris accipiunt; eadem scientiæ definitione comprehenduntur; diuersosque aut artis, aut mentis, aut prudentiæ aut sapientiæ habitus minime efficiunt; specie, & natura distinctos; quod de singulis probatur in hūc modū; Mens est principiorum cognitio, quæ haud demonstrantur; vt scribitur in 6. Ethic. cap. 6. atqui nemo in principijs cognoscendis certo aliquo complexu iunctis habitum facit, nisi vt ex ijs scientiæ & sapientiæ doctrinam deducat, quam certum est proprijs principijs copulatam vnum & eundem cum eorum cognitione scientiæ habitū gignere, nisi lineam sine pūctis, & compositum naturale sine materia, & rem denique quamcunque sine suis principijs, & cogitari animo posse, & existere in Naturæ uniuersitate separatim putes; de sapientia idem est penitus statuēdum nam in 6. Ethic. c. 7. ita scribitur, quapropter exactissimam sciētiarum esse sapientiam manifestum est; sapientiam, igitur non solum ea quę ex principijs sunt cognoscere, sed ēt circa ipsa principia uerū dicere oportet; quid clarius, quid apertius? num exactior scientia specie & natura differet ab ea quæ minus exacta videtur? num principiorum notitia per demonstrationes comparata ex certis & necessarijs medijs opera & industria sapiētis

scientia non erit? num scire aliud est, quàm rem per causam cognoscere? num demonstratio quæuis scientiæ gignendæ idonea non est? eæ vero ratiocinationes, quibus sapientes solent suas de principijs doctrinas colligere nũ à Sophisticis, & Topicis syllogismis non distinguuntur, demonstrationumque non adnumerantur numero? idẽ patet ex sequentibus locis in 4. Met. text. 7. est Physica sapientia quædam sed non prima; in primo Met. c. 2. principaliorem quàm ei subministrantem potius sapientiam esse opinionem habemus; vt igitur prima scientia & prima Philosophia, & principalior sapientia, in scientiæ, Philosophiæ, & sapientiæ notione, secundum speciem haud distinguitur ab ea scientia, Philosophia, & sapientia quæ neque prima est neque potior videtur; ita prima sapientia in sapientiæ habitu specifico haud differet à Physica; quæ sapientia est quidem sed non prima. in primo Met. cap. 2. idem luce meridiana clarius exprimitur his uerbis; quoniam autem hanc scientiam quærimus, hoc utique fuerit considerandum circa quales causas, & qualia principia scientia sapientia est; si itaque repetat quisquam, quas de sapiente opiniones habemus, fortassis ex hoc magis appareat; primo igitur opinamur sapientem maxime omnia, ut possibile est, scire, non habentem singulariter eorum scientiam; deinde illũ qui difficiliora, neque scitu facilia homini cognoscere possit, sapientem existimamus; sentire in omnibus commune est, quamobrem facile, & neutiquam sapiens est; item illum, qui certior ac magis docere ualens causas reddat, sapientem in omni scientia esse, scientiarum quoque illam, quæ gratia sui ipsius, & propter ipsum scire, quàm illam, quæ aliorum gratia eligenda, sit magis sapientiam esse; & principaliorem

quam

quam ei ſubminiſtrantem potius ſapientiā eſſe; non enim vt ſapienti præcipiatur, ſed ut illæ præcipiat: nec utile ab altero, vt ab eo, ſed minus ſapienti ſuadeatur, decet; opiniones itaque tales, ac tot de ſapientia, & ſapientibus habemus. hæc Ariſt. cuius oratione quid quæſo ſapientiæ tributum fuit; quod non etiam ſcientiæ tribui poſſit? at dicat aliquis eo ſapientiam ſcientia plus habere, quòd circa principia uerſetur, ſitque ut Ariſt. dicit in 6. Ethic. c.7. non modo ſcientia ſed etiam intellectus; à quo peto viciſſim ego num ſapientia ſecus circa principia uerſatur, quàm quatenus rerum ſcientiæ, principiorum quoque ſcientiam addit, quæ non minus uere ſcientia eſt, quàm illa, quæ de rebus à principijs deriuatis habebatur? num Ariſtotelis non ſunt illæ voces in fine primi capitis primi libri Metaphyſicorum, quòd igitur ſapiētia circa aliquas cauſas & principia ſcientia ſit. patet? ac num ſcientiæ acceſſione differet à ſcientia ſcientia? num remiſſus & intenſus candor eiuſdem non ſunt ſpeciei? de arte non aliter eſt ſtatuendum ſcientiæ habitui comparata, quàm quo modo de ſapientia ſtatutum fuit; cū enim ea ſyllogiſmis non efficiatur topicis, quorum proprium eſt opinionem gignere; quam à rationis habitibus Ariſt. excluſit in 6. Ethic. c. 3. his uerbis, ſint autē ea, quibus anima affirmando aut negando verum dicit numero quinque ars, ſcientia, prudentia, ſapientia intellectus, nam exiſtimatione & opinione fieri poteſt, ut mentiamur; conſequens profecto eſt ut ſyllogiſmis efficiatur demonſtratiuis, quos ſemper ſcientia ſequitur; hinc Ariſt. in primo Met. ca. 1. ſcire inquit & cognoſcere magis arti, quàm experientiæ arbitramur ineſſe; ac eos qui artem tenent, quàm eos qui experientiam habent ſapientiores eſſe putamus, eò

quòd

quod sapientia propter scientiam magis omnes sequitur; quæ Aristotelis ratio nulla est, nisi arte quoque scientię habitum inesse concedatur? obijcies ex Aristotele in c. 4. sexti Ethic. prudentiam & artem uersari circa id quod aliter esse potest; scientiam autem omnem de ijs agere, quę non posse aliter sese habere existimamus, ut scribitur in c. 3. eiusdem libri. Respondeo haud ita esse; etenim si artis nomine mente comprehensum habitum intelligas in exteriorem praxim minime deductum; tanta est artis constantia, quanta earum facultatum, quę nemine contradicente scientię censentur: quę enim naturali Philosophię subijciuntur, non semper, sed ut plurimum eodem modo eueniunt; at illa etiam, quæ sub artem cadunt ijsdē legibus tenentur; quibus haud dissimilia sunt, ea quę exercendę prudentię materiam faciunt; est autē prudentia, Philosophia ipsa moralis in vsum humanę vitę reuocata, quam ut mētis habitu tenetur uere & proprie scientiam esse nemo inficias ibit. His facile adducor, ut Aristotelem credam in 6. Ethicorum libro non rationis habitus diuisisse, qui indiuidui sunt, cum vna & eadem scientiæ ratione comprehendantur omnes; ratum enim esto quidquid nō opiniōis, aut fidei, aut existimationis habitu à mente profertur, a scientia manare; sed mentis scientia imbutæ promotiones in res alias ab ijs quæ primò & per se scientiam facere uidentur, ut principia non scientia ipsa sunt, sed scientiæ initia & uelut fundamenta; quæ causa est cur intelligentia & sapientia, tametsi scientiæ partes sunt, diuersæ tamen ab ea promotiones iudicentur; simili modo, quo artem & Philosophiam morum vsui coniunctas, ad praximq; promotas à seipsis differre, & separari dicebamus; nō radice inquam & arboris trunco, sed pal-

mitum

mitum pro germinatione; obijcies ex Ariſtotele in primo libro de poſteriori analyſi cap. 7. nullam ſcientiam demonſtrare ſua principia; mira mehercule res eſt, quantum poſſit ſemel imperite ſuſcepta opinio, in ijs preſertim qui non tam rebus ipſis diſcutiendis veritateque examinanda Philoſophantur; quam vulgaribus quibuſdam ſcholarum enunciatis conſectandis, quæ ipſi nunquam aut expendunt, aut recte intelligunt; quid enim, o egregij vos bambaliones? num principia demonſtrare ſcientiarum impoſſibile eſt? aut num principia non ſolum à limine vt aiunt nota, ſed probata quoque & demonſtrata futuræ ſcientiæ ad quam comparantur officere quicquam poſſunt? Age Ariſtotelis ipſa verba mentis cribro ventilemus; patet inquit ex hiſce fieri non poſſe vt demonſtretur quicquam, niſi ex ſuis quidque principijs; ſed horum principia habent commune; quòd ſi id conſtat, patet fieri non poſſe quiſquam propriorum principiorum vt demonſtrationem exhibeat; erunt enim illa omnium principia; & ipſorum ſcientia domina omniũ erit; etenim is ſcit magis qui ſuperioribus ex cauſis ſcit; ſcit enim tum ex prioribus, cum ijs è cauſis ſcit, quę non effectus ſubeũt rationem; quare ſi magis ſcit, & maxime: etſi eſt illa ſcientia, magis profecto, maximeque ſcientia eſt; hæc Ariſtoteles eo loco; qui rurſus in c.8. dico autẽ inquit principia in vnoquoque genere hæc, quæ quòd ſunt non contingit demonſtrare: præcedentis illius in ſeptimo capite ſenſus eſt orationis; non poſſe priuatam aliquam ſcientiam propria ſua principia demonſtrare; quoniam propria ſcientiarum principia demonſtrari nequeunt, niſi per alia principia, quæ ſcientijs omnibus communia ſunt, quæ ex priuatis ſcientijs haud peti poſſunt, cum ad eam ſpectent

ſcientiam, quæ omnium aliarum domina eſt, & Regina; nimirum ad primam Philoſophiam; iamdiu uero etiam atque etiam repetitum à nobis fuit ob id Phyſicam & Metaphyſicam communes doctrinas cenſeri, quod de ſubſtantia agant, à qua rerum principia manant omnium quæ ſubſtantiæ inhærent: de quibus aliæ agunt ſcientiæ, cum ſubſtantia ſit, in quam reliqua omnia aliarum cathegoriarum poſtremo reſoluuntur, accidentiaque à ſubſtãtia pendeant, non ut cognoſcantur modo, ſed etiam ut ſint, ut ſæpiſſime in Metaphyſicis inculcatur, & quidem quòd aliarum ſcientiarum principia Phyſicus & Metaphyſicus probare poſſint; id ipſis etiam cum alijs ſcientijs commune exiſtit, probat etenim Arithmeticus principia Muſicæ; & Aſtronomiæ principia a Geometra demonſtrantur, at quòd ſua ipſorum principia demõſtrare poſſint, propria id quadam uelut municipali lege, ſpecialiq; priuilegio obtinent; quoniam Rectum iudex eſt ſui & obliqui, & quæcunque regula & menſura ſunt aliorum, ſibi ipſis quoque regula, & menſura ſunt, eſt autem ſubſtãtia rerum aliarum proculdubio regula, ut omnibus in confeſſo eſt: inique igitur illi naturali auferebãt Philoſophiæ, quod ſcientijs alijs negatum videbant ob ipſarum imperfectionem; iniquius etiam agebant cum pinguem & craſſam admodum qua laborant ignorantiam ſummo, diuinoque Philoſopho adſcribebant; tantum uero abeſt vt propria principia demonſtrare rationi ſcientiæ repugnare Ariſtotelis putauerit; vt contra ſenſerit non poſſe aliquem ſeipſum explorare, num ſcientiam aliquam bene teneat, niſi illius principia alibi, hoc eſt in Metaphyſicis demonſtrata habeat; ita enim in fine ſeptimi capitis primi libri de demonſtratione legitur. At uero difficile ad-

S modum

modum ſeſe percipere eſt, quempiam, ſi ſciat, nec ne; eſt enim difficile cognoſcere ſi ex principijs vniuſcuiuſque ſciamus nec ne, quod quidem eſt ſcire. putamus autem ſæpenumero ſcire; ſi ex veris quibuſdam primiſve ratiocinationem habemus; id uero non eſt ita, ſed oportet ipſis primis eſſe propinqua: hæc Ariſt. at cuius eſt ſtatuere quę ſcientiarum omnium propria principia ſint, niſi Metaphyſici, qui cuncta & vniuerſa in prima eorum origine conſiderat nimirum in ſubſtãtia? ac ſicut ſubſtantiæ proprium eſt; ut ex ipſa fluant, & genus trahant accidentia; ita quæ ex natura accidentis ſemel ipſius ope ſtabilitá priuatis legibus proficiſcuntur ad ſubſtantiam minime ſunt referenda, ſed ad proprias accidentium radices, a quibus bene ſubſtantiæ auxilio ſuffultis deriuarunt; ob id communis ſolum de accidẽtibus oratio Metaphyſici propria putatur; quæ deinceps de accidentibus magna perſcrutatione indagari ſolent, ex aliorum ſcientiarum penu depromuntur. His expoſitis apparet quemadmodum ſecundæ illi quæſtioni ſit reſpondendum; qua quærebatur, vt Phyſica a Metaphyſicis non diſtinguerentur, cum illis ſcientiæ, his ſapientiæ habitus gignatur, quos diuerſos cenſet Ariſt. in 6. libro Ethic. ex quibus videre eſt, quàm grauiter hallucinetur ſplendidiſſimi noſtra ætate nominis Philoſophus Franciſcus Piccolomineus in quinto gradu moralis ſuæ Philoſophiæ cap. 21. cum ita ſcribit. Accipio inquit primo ſubiecti nomen dupliciter vſurpari; primo pro obiecto, & re quauis de qua in ſcientia ſermo eſt; ita Ariſt. in 2. de anim. comm. 108. & alibi obiectum facultatis cognoſcentis nuncupauit ſubiectum; in qua conſideratione abſolute omne quod eſt, latiſſime ſumptum eſt obiectum ac ſubiectum Metaphyſicæ; ſecundo.

vſurpatur magis proprie, & tunc dum ſubiectum Metaphyſicæ quæritur, conſiderandum eſt vnum magni ponderis, quod eius eſt proprium, & non competit alijs; id autem eſt, quòd cùm Metaphyſica ſit ſapientia, quæ ex ſcientia & intelligentia eſt conflata; ideò tripliciter poteſt conſiderari; primo ut eſt habitus conflatus ex ſcientia & intelligentia; ſecundo ratione ſcientiæ contradiſtinctæ ab intelligentia; tertio ratione intelligentiæ contradiſtinctæ a ſcientia; ob quam triplicem conſiderationem eius triplex poteſt aſſignari ſubiectum. nam dum cõſideratur ratione intelligentiæ, ita ſubiectum, ſiue obiectum eius ſunt prima principia ſiue cõplexa, ſiue incomplexa, quæ non ab alio recipit, ſed per intelligentiæ habitum propria ratione conſiderat, & principale obiectum eſt Deus. ſi ſecundò conſideratur ratione ſcientiæ contradiſtinctæ ab intelligentia, ſubiectum eius cenſeri debet ens dependens, ac compoſitum, quod proprie, & per denominationem ens dicitur; & hoc eſt id, quod in decem prædicamenta uel proprie, vel per ſimilitudinem diſtribuitur: & quia huiuſmodi ens eſt ab vno, id quod primum eſt, ne dum dicitur principale, ſed etiã proprie ſubiectum: ideo hac conſideratione ſubſtantia & principale & proprie ſubiectum Metaphyſicæ ſtatuitur, ut aperte conſtat ex principio quarti libri Met. At ſi demum Metaphyſica conſideratur ratione utriuſque, ut inquam ſapientia ex ſcientia & intelligentia conflata, ita obiectum ac ſubiectum eius iudicari debet congregatum ex utriuſque, ens inquã extenſum ad principia, & ad ea, quæ ex principijs pendent, inter quæ principatũ obtinent principia, non ſecus ac intelligentia præfertur ſcientiæ; ex his varia colligere valemus ſcitu perpulchra & vtilia, colligo primò ſepara-

tas mentes partim esse principem speciem subiecti Metaphysicæ, partim nō speciem, sed principia subiecti eius. colligo secundo tum ens late sumptum ad omnia extensum, tum separatas formas, tum ens cōcretum, tum substantiam compositam esse subiectum Metaphysicæ; colligo tertio Metaphysicam iure optimo ab Aristotele frequenter dici scientiam de separatis formis ut constat ex procemio de anima, ex secundo Phys. text. 26. & locis alijs; dicitur enim de separatis formis, primo quia sunt id, per quod præsertim à Physica secernitur: & supra eam collocari dicitur, nam cætera omnia (quamuis distincta ratione) etiam à Physico considerantur: secundo. quia denominatio fit ab eo, quod eminentius, ac præstantius est: huiusmodi est intelligentia & præsertim seiunctarum formarum: tertio quia vires semper mensurari dicuntur per maximum quod possunt, & per terminum postremū, ad quem extenduntur, ut cōstat ex primo cœli text. 106. ratio quarta est quoniam inquit Arist. in 6. Met. text. 3. nisi darentur substantiæ abiunctæ, Physica esset prima Philosophia, cuius sententiæ rationem non eam esse censeo, quam cōmuniter Latini afferunt, & cum eis Zimara: quia Metaphysica versatur in rebus abiunctis, quarum duo sunt genera; uel enim sunt abiuncta per essentiam, vel per indifferentiam, quæ abiuncta per indifferentiam non darentur, nisi darentur abiuncta per essentiam, non enim datur commune, nisi detur ea, quibus id commune est. Hanc rationem inanem censeo: primo quia commune ab uno non est natura una in omnibus eadem, quę exacte considerari possit seorsum à contentis sub eo: explicatio enim eius quod est ab uno, est explicatio contentorum sub eo: at transcendentia illa & indifferentia ab

illis

illis nuncupata, fiunt communia ab uno, quare ex notitia contentorum elucescunt, non autem ex sola indifferentis naturæ consideratione. Propterea de hac loquens Arist. in procemio de anim. text. 8. dixit animal vniuersale vel nihil, uel posterius esse: insuper dum Arist. inquit considerari in Metaphysica ens quatenus ens; & eius principia; per ens nō denotauit commune abiunctis, & iunctis cum materie; ei namque communi principia non compe tunt; sed denotauit ens compositum, & concretum; ita frequenter Philosophus per id quod est, compositum significauit, ut in primo & in secundo Phys. seruare licet; ens enim cum sit vox concreta, proprie significat compositum, quod patefecit Arist. in quinto Met. text. 13. ubi explicans ens dixit dici dupliciter, secūdum se, & ex euentu; & per utrumque membrum denotauit compositum, ut constat ex eius verbis accurate consideratis; & aperte suam sententiam explicauit Arist. sub initio quarti Metaphys. quo loci cum dixisset principia & supremas causas alicuius naturæ per se esse debere, & eā esse ens, quatenus ens, addit: ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad unum principium; quædam enim, quoniam substantiæ, entia dicuntur, quædam quoniam affectiones substantiæ, quædam quoniam uia ad substantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates &c. indicans semper eam substantiam, quæ primò dicitur ens, esse substantiam compositam. Dicamus itaque dum Arist. dixit § nisi darentur substantiæ abiunctæ, Physica esset prima Philosophia § minime denotasse eas esse subiectum Metaphysicæ; sed id eatenus esse verum; quatenus, nisi darentur substantiæ abiunctæ, nullum daretur primum causæ genus, ad quod non posset eleuari Physicus; ac ita Physica

esset

esset prima Philosophia; veluti etiam in primo de partibus animalium dicebatur (si Physicus consideraret mentem, quæ est abiuncta, & à materia non pendens; nulla remaneret alia Philosophia) hoc est non amplius supra se haberet Metaphysicam, quæ sola ad separata principia eleuatur; nam loquitur tunc Philosophus de consideratione animæ, quæ consideratur à Physico, non ut species subiecti, sed tanquam principium potioris speciei; gradus enim considerationis principiorum respondet gradui scientiæ, & modo considerandi eius. Hinc veteres Philosophi, qui nil supra corpus excogitarunt, & naturam iudicarunt primum principium, etiam scientiam de natura primam statuerunt. quamuis enim circumscriptis imaginatione separatis mentibus, excogitari posset modus quidam alius eadem corpora Physica considerandi (nempe vt entia) tamen quia ea prædicata, præter id quod solùm competerent Physicis, principia non haberent eminentioris gradus, propterea non distinctam constituerent scientiam, sed in Physica consideratione includerentur. Quarto ex hac elucidatione colligo iure Aristotelem 11. Met. c. 6. asseruisse præstantiam Metaphysicę ortum ducere ex præstantia separatarum mentium, tanquam ex præstantia rei consideratæ; nam quamuis separatæ mentes rectius dicantur principia subiecti, quàm subiectum Metaphysicæ; tamen quia ea est sapientia, quę pro sui parte includit intelligentiam; quod cæteris scientijs non competit, ideo præsertim ex eo quod ad intelligentiam pertinet, eminentem dignitatis gradum sibi optat. Demum ex eadem elucidatione cõstat, quomodo enti ut ens est principia & affectiones competant; nam principium & affectio debet modo aliquo differre cuius

princi-

principium, & affectio est; principia itaque entis minime debent esse entia, ne idem sit principium sui, & propterea entis vniuerse sumpti principia esse non possunt; at entis pro dependente & composito sumpti dantur principia, quæ non sunt entia per denominationem & composito, sed principia eius; ea autem dicuntur solum entia, ut ens contradistinguitur à nihilo. Ita Plato Deum dicebat esse non ens, sed supra illud, & principium eius, quod etiam fecit Arist. in 8. Phys. text. 52. quo loci Deum nominauit principium mentis; & huiusmodi ens de suis differentijs prædicatur: quia cum non sit genus, sed commune ab vno, caret proprijs differentijs, & quæ nuncupantur differentiæ, sunt gradus, & modi eius, de quibus communi iure prædicatur; ita variæ diluuntur difficultates, ut considerantì redditur notum; hæc doctissimus, & magnus utriusque Philosophiæ parens Platonicæ inquam & Peripateticæ, Franciscus Piccolomineus de Patauina Academia optime meritus; cui iamdiu futura sæcula præclaram nominis gloriam, & perennem famæ splendorem parant: cui inquam laudatissimo viro, nos ut sponte vltroque deferimus, sicut annos nostros decet; ita haud ingratam & iniucūdam rem facturi esse arbitramur, si quę minus probamus in illius sententia de subiecto Metaphysicorum pro viribus euertere, demolirique studebimus. quid enim veritate sanctius aut magis venerandū? quid homini facilius etiam sapienti, & solida eruditione cumulato, quàm nonnunquam per imprudentiam labi? quis eruditissimorum authorum quos præterita sæcula plurimos tulere, culpa omni caruit, ac reprehensionis liber esse penitus potuit? pluribus igitur modis peccatū est à Francisco Piccolomineo, primum cum Metaphysicorum

esset prima Philosophia; veluti etiam in primo de partibus animalium dicebatur (si Physicus consideraret mentem, quæ est abiuncta, & à materia non pendens; nulla remaneret alia Philosophia) hoc est non amplius supra se haberet Metaphysicam, quæ sola ad separata principia eleuatur; nam loquitur tunc Philosophus de consideratione animæ, quæ consideratur à Physico, non ut species subiecti, sed tanquam principium potioris speciei; gradus enim considerationis principiorum respondet gradui scientiæ, & modo considerandi eius. Hinc veteres Philosophi, qui nil supra corpus excogitarunt, & naturam iudicarunt primum principium, etiam scientiam de natura primam statuerunt. quamuis enim circumscriptis imaginatione separatis mentibus, excogitari posset modus quidam alius eadem corpora Physica considerandi (nempe vt entia) tamen quia ea prædicata, præter id quod solùm competerent Physicis, principia non haberent eminentioris gradus, propterea non distinctam constituerent scientiam, sed in Physica consideratione includerentur. Quarto ex hac elucidatione colligo iure Aristotelem 11. Met. c. 6. asseruisse præstantiam Metaphysicę ortum ducere ex præstantia separatarum mentium, tanquam ex præstantia rei consideratæ; nam quamuis separatæ mentes rectius dicantur principia subiecti, quàm subiectum Metaphysicæ; tamen quia ea est sapientia, quę pro sui parte includit intelligentiam; quod cæteris scientijs non competit, ideo præsertim ex eo quod ad intelligentiam pertinet, eminentem dignitatis gradum sibi optat. Demum ex eadem elucidatione cõstat, quomodo enti ut ens est principia & affectiones competant; nam principium & affectio debet modo aliquo differre cuius

princi-

principium, & affectio est; principia itaque entis minime debent esse entia, ne idem sit principium sui, & propterea entis vniuersè sumpti principia esse non possunt; at entis pro dependente & composito sumpti dantur principia, quæ non sunt entia per denominationem & composito, sed principia eius; ea autem dicuntur solum entia, ut ens contradistinguitur à nihilo. Ita Plato Deum dicebat esse non ens, sed supra illud, & principium eius, quod etiam fecit Arist. in 8. Phys. text. 52. quo loci Deum nominauit principium mentis; & huiusmodi ens de suis differentijs prædicatur: quia cum non sit genus, sed commune ab vno, caret proprijs differentijs, & quæ nuncupantur differentiæ, sunt gradus, & modi eius, de quibus communi iure prædicatur; ita variæ diluuntur difficultates, ut consideranti redditur notum; hæc doctissimus, & magnus utriusque Philosophiæ parens Platonicæ inquam & Peripateticæ, Franciscus Piccolomineus de Patauina Academia optime meritus; cui iamdiu futura sæcula præclaram nominis gloriam, & perennem famæ splendorem parant: cui inquam laudatissimo viro, nos ut sponte vltroque deferimus, sicut annos nostros decet; ita haud ingratam & iniucũdam rem facturi esse arbitramur, si quę minus probamus in illius sententia de subiecto Metaphysicorum pro viribus euertere, demolirique studebimus. quid enim veritate sanctius aut magis venerandũ? quid homini facilius etiam sapienti, & solida eruditione cumulato, quàm nonnunquam per imprudentiam labi? quis eruditissimorum authorum quos præterita sæcula plurimos tulere, culpa omni caruit, ac reprehensionis liber esse penitus potuit? pluribus igitur modis peccatũ est à Francisco Piccolomineo, primum cum Metaphysicorum

corum facultatem, quæ unica eſt, tribus habitibus contineri dixit ſapientiæ, ſcientiæ, & intelligentiæ; ac ſingulis propria ſubiecta obiectaque reſpondere pronunciauit, varie Metaphyſicorum doctrina comprehenſa. Secūdo cum ſapientiæ ſubiectum quatenus ſapientia eſt aggregatum quidpiam eſſe protulit ex intelligentiæ & ſcientię ſubiectis. Tertio cum ſcientiæ præpoſuit intelligentiã. Quarto cum & ens late ſumptum ad omnia extenſum & ſeparatas formas Metaphyſicæ facultatis ſubiectum eſſe ſtatuit. Quinto cum ratione mentium ſeparatarum Metaphyſica dixit præcipue ſecerni à Phyſicis, earundemq; beneficio Metaphyſica collocari ſupra Phyſica. Sexto cum ens quod compoſitum eſt putauit non eſſe per indifferentiam à materia abiunctum. Septimo cum pronunciauit non Phyſicum ſed Metaphyſicum, uelut toto cœlo à Phyſico diuerſum attollere ſeſe ad contemplationem ſubſtantiarum quæ ſeparatæ, & inconcretiles cenſentur. Octauo cum iudicauit mentem humanam à Metaphyſico conſiderari ut ſubiecti proprij ſpeciem, à Phyſico uero vt principium eſt potioris ſpeciei. Nono cum dixit a ſeparatis & abſtractis intelligentijs modum conſiderandi Metaphyſicum capere, quo à Phyſico, & à Phyſica conſideratione diſtinguitur; ac eo uelut in altiorem & ſublimiorem contemplationis gradum effertur. Decimo cum Metaphyſicæ facultatis dignitatem ac præſtantiam à ſeparatarum intelligentiarum dignitate manare dixit tanquam rerum conſideratarum. Vndecimo cum entis Metaphyſici affectiones haud eſſe entia eſt arbitratus, ab eo ente ſumpta denominatione, cuius affectiones dicuntur. Duodecimo cum ens communiſſimum dixit: quia eſt ab uno carere proprijs differentijs, ac pro ijs

modos & gradus quosdam habere, de quibus prædicatur. hi sunt Francisci Piccolominei errores quos refellere est operæpretium solidioribus argumentorum momentis, ne temere de honestissimi hominis doctrina iudicasse videamur. in primi igitur erroris arcem ita inuadimus.

Non potest in vllo prædicamento ex duobus fieri unũ per se, nisi alterum se habeat vt actus, vt potẽtia alterum; non igitur ex duobus habitibus, quorum uterq; propria obiecta habeat potest fieri tertius habitus; quoniam habitus distinguuntur per obiecta; atque actus est, qui separat & distinguit: vt necessum sit vtrumq; habitum actus esse, non potentias, nisi obiectis careant: propterea id incommodi longe abest à nobis qui tametsi ex scientia & intelligentia conflamus sapientiæ habitum; scientiæ tamen soli obiecta damus, ipsam nimirum intelligentiam; & ea quæ intelligentiæ ambitu coercentur; quæ cum à sapiente hoc est ab exquisite sciente demonstrantur; ipsa sunt scientiæ & sapientiæ obiecta; neq; contendat aliquis eorum quæ cognitioni objiciuntur, rursus alia obiecta tribui & cõcedi posse; eodemmet tempore, quo illis obijciuntur; quoniam id prorsus caret ratione, cum proprijs & præscriptis terminis conclusa actio, ex qua habitus gignitur; nequat in vlteriorem actionem propagari; nisi id quod terminatum est, qua tale existit, simul dicas interminatum esse; quod implicitam habet contradictionem; deinde habituum uel semplicitas, uel compositio nulla ex re æque arguitur atq; ex actionibus, quæ ab ipsis prodeunt; at sapientis speculatio ita simplex est, ut speculatio illius, qui scientiam solam profitetur; & habitus igitur vtriusque oportet esse æque simplices, & incompositos.

illud demonstratur, ex eo quòd sapientiæ proprium est vt scribitur ab Aristotele in primo Met.c.2. circa ea versari, quæ maxime scibilia sunt; at simpliciora constat magis scibilia esse ijs quæ sunt minus simplicia, cū cōpositio velut tenebras offundat rerū scibilitati 1. Met.c.2. demū nulla pars inconcrete nominata effatur in propositione de toto, cuius pars est: at dicimus sapientia est scientia quædam magis exquisita; non igitur scientia pars est sapientiæ, sed ipsa est sapiētia; quemadmodum sapere quoniam per demonstrationem fit, aliud non est, quam scire. In secundum errorem ita inuehimur; quæ diuersis generibus tametsi eiusdem cathegoriæ subijciuntur species, vna aggregatæ nunquam in tertiam speciem coalescunt, quæ ex utrisque non vt medium per negationem, sed affirmatiue componatur, at Piccolominei iudicio scientia & intelligentia diuersa genera sunt; hoc est scientiæ subiectæ species genere differunt ab intelligentia; nō igitur scientia quę genus non est, sed priuata species illius scientiæ, quæ genus dicitur, permisceri cū intelligentia potest ad tertiam speciem efficiendam; illius ratio est, quoniam quæ proxime simul vinciuntur ad alterius speciei productionem; proximam quoq; & immediatam in alterutrius natura potentiam habere debent, cum potentiæ vinculo disparata omnia per se copulentur, at quæ carent eodem proximo genere, carent etiam eadem proxima secundū naturam potentia; seu à genere, seu à differentia ducere illam velis, non igitur ex intelligentia & priuata scientia effici sapientia per aggregationem potest; quod si ita est, nec sapientiæ obiectum ex scientiæ & intelligentiæ obiectis aggregatum esse potest. Amplius peterem à Piccolomineo, num illud sapientiæ per aggregationem factum

obiectum per se, an per accidens est vnum? non per accidens, nisi nugæ, & quisquiliæ è primaria Philosophorũ sede Patauij venditentur; ergo per se; at quo id modo? quod illorum vicem subibit actus? quod potentiæ? item quãdo auditum fuit in scholis Peripateticorum potentiã cum actu aggregare, & multitudinem facere? tertium errorem coarguimus ita; intelligentia si per se & propriè sumatur aliud non est, quàm complexio principiorum, quæ sola experientiæ inductione innotuere, non doctis modo & eruditis viris, sed quibusvis etiam è triuio, & gregarijs hominibus; at scientia ratione est elaboratum opus; censenturque scientiarum professores magna nominis laude ingenium & mentem coluisse; quis igitur incultum, & propè rudem agrum bene culto præferat? quis aut simplicium apprehensionem, aut propositione unica compositam orationem ratiocinatione, & demonstratione potiorem vnquã in homine existimauit? cui ignotũ est Naturæ consuetudinem esse ab eo semper, quod imperfectius est progressiones suas auspicari? quis in Aristotele non legit ea quæ generatione sũt posteriora, maiori fulgere dignitate, & præstantiæ plus obtinere? at certum est hominis mentem ab intelligentia & principiorũ cognitione exordiri ut ex ijs scientiæ habitum comparet. scio vero quid Piccolomineo errãdi ansam & occasionẽ dederit; ambiguæ vocis non explicata significatio; putauit enim æque esse eundem intelligentiæ habitum cum principia simplici experimentorum inductione per noscuntur, atque cum etiam demonstrantur, quod peccatũ maximum est; quoniam principia, demonstrationum ductu probata non intelligẽtiæ amplius, sed scientiæ habitu comprehenduntur; ac verissimum est eam scientiam, quę

de principijs eſt, & præſertim primis & immediatis, ſcientijs alijs præſtare; quoniam ea aliud non eſt, quàm ſapientia. Quartum errorem expugnamus ita Metaphyſicorũ ſubiectum unicum eſt, ut nuper oſtendimus; nimirum ſubſtantia naturalis, qua conſtat formas ſeparatas, intelligentias inquam; & ens illud lato ſignificato ſumptum nulla ratione poſſe contineri; non igitur eſſe poſſunt, aut dici debent primæ ſapientiæ ſubiectum; deinde ens illud latiſſime protenſum nihil eſt, niſi æquiuocum prorſus nomen, nullamque neque obiectiuam, neque formalem notionem propriam habet, inane eſt igitur ipſum adſtruere facultatis alicuius ſubiectum; aſſumptum demonſtratur. eo nomine ſola analogia externa ſignificatur inter ſubſtantias naturales, & inconcretas intelligentias; nõ igitur poterit ei proprius, & obiectiuus conceptus reſpondere, quoniam in illo haud externe, ſed internè vtræque ſubſtantiæ conuenirent; caret etiam ens huiuſmodi cõceptu proprio formali: quidquid obſtrepant Latini Metaphyſici: quia ut notio hæc vel expers, vel particeps rationis, nihil proprium habet præter duos illos conceptus de rationali & irrationali, coniunctim hoc eſt ab eadem mẽte, eodem tempore cum diſiunctionis voce apprehenſos; ita ſi quis ita ſecum animo unica contemplatione cogitaret vel abſtracta, uel naturalis ſubſtantiá, haud propterea notionem vllam formaret entis illius propriam, quod latiſſimo ſumitur ſignificato; deinde priuatæ cuius notioni, niſi conſtet aduentitia quadam plurium aggregatione, ac velut fortuito concurſu; propria aliqua intelligibilitas reſpondere debet; cuius vinculo diuerſa illa, & à ſe inuicẽ procul aliena quæ in intelligendo coniunguntur, in eandem per ſe conceptionẽ coeant; at quod eſſe poteſt entis

illius

illius proprium & priuatum intelligibile? propositio vera est: quia quicquid indeterminati naturam habet, eo actu indiget ut definiatur; cuius uelut proprium & peculiare censetur, quæ illius generis indeterminata sunt, ad certā speciem contrahere; at humanus intellectus dum varie ac varie intelligit, haud alia re definitur, adigiturque ad speciales intellectiones, quā obiecto intelligibili subinde variante; idque illi cum omnibus, quotquot sunt indeterminatis potentijs commune existit. ac sicut si puncto indiuisibili tametsi infinita puncta adderentur, nulla vnquā efficeretur diuisibilis magnitudo; ita quamquā plurima simul accipiantur, quæ communia sunt; nihil vnquam proprij consurget ex illorum copulatione, donec proprij alicuius actus accessio facta fuerit. In quinto errore sic Piccolomineum adorimur, nō alio discrimine secernitur sapientia à priuata scientia ut Arist. dicit c.7. 6. Ethicorū & lib. 1. magn. mor. c 33. quam quòd sapientia sit exactissima scientiarum, ac non solum quæ ex principijs sunt, cognoscat, sed etiam circa principia ipsa verū dicat; quod ita repetitur in primo Met. c. 1. sapientiam circa primas causas & principia arbitrantur versari; idemq; colligitur ex ijs titulis qui sapienti ab Aristotele tribuuntur in ca. 2. non igitur mentium separatarum ratione, qua tales sunt Metaphysica censeri debent à Physicis diuersa, ac supra Physica uelut in fastigium collocata; sed qua prima principia sunt; ita vt quamquam nullæ separatæ intelligentię extarent; illorum tamen ratione, quæ prima naturalium substantiarum principia existerent Metaphysicorū libris cōprehensa sapientia à Physicis distingueretur. Deinde formales causæ proprie semper & internè magis distinguunt, quàm efficientes. Secundo igitur substantię sine

singularium acceptę connotatione, entisque hoc est substantiæ communia attributa, cuiusmodi sunt vnum, actus, potentia, oppositio, & reliquæ id genus entis affectiones intimam magis Metaphysicorum à Physicis secretionē efficient; ac magis proprie ad eam tractationē spectabūt, quæ de substantia est, quàm separatæ intelligentiæ, quæ foris tantum naturæ corpora afficiunt; at obijciat aliquis Metaphysicum agere de abstractis & abiunctis mētibus, non quatenus modò cōpositæ substantiæ principia sunt, sed multo magis per se, vt illarum naturam exploret, ac tametsi substantiæ naturalis principia non essent, nihilominus Metaphysicum circa eas versaturum; adducatque locum Aristotelis in 6. Ethic. cap. 7. qui sic habet. constat igitur ex ijs quæ dicta sunt sapientiam esse rerum præstantissimarum natura scientiam & intellectum; & illum item in eodem capite quare sapientia erit intellectus & sciētia, ac quasi habens caput scientia rerum pręstantissimarum. quam obiectionem facile est refellere. nam vel ipsiusmet Piccolominei confessione, cum sapientia conflatum habitum significet ex intellectu & scientia; illius scientiæ proprium subiectum est substantia composita; intellectus vero proprium subiectū sunt prima principia, quatenus principia; disertaque oratio est Aristotelis in cap. 6. sexti Nichomachion, intellectum esse de principijs rei scibilis, quatenus principia sunt; non igitur separatæ mentes per se Metaphysici munere excipi possunt, nisi quatenus ad substantiam compositam referuntur, illiusque principia sunt; ij vero Aristotelis loci apte in aduersariū retorqueri possunt ita; sapientia non modo quatenus intellectus est, sed etiam quatenus scientia est circa res præstantissimas Aristotelis iudicio versatur; at rerum præstantissimarum

nomine,

nomine, quæ sub sapientiæ scientiam per se cadunt (vt Piccolomineus eam interpretatur) non possumus quidpiam intelligere, quod compositæ & naturalis substantiæ dignitatis fines transiliat; neque igitur cogemur Aristotelis authoritate, ut res eas præstantissimas, quæ per se sapientiæ intellectui subijciuntur, intelligentias & separatas mentes esse fateamur; quatenus tales sunt. Sextus error in assertionibus nostris confutatus & explosus fuit. Septimum errorem sic expugnamus; neque Physicus, neque Metaphysicus de separatis mentibus agit per se, quatenus in sui substantia, & natura sunt; at quatenus aut motus aut alterius rei principia existunt; vterque de ijs edisserit: is quidem in octauo libro Phys. hic uero in 11. & 12. non igitur peculiare est Metaphysico concessum priuilegium sese ad mentium inconcretarum efferre contemplationem, magis quam Physico; quem Metaphysico eundem esse demonstrauimus. eadem opera labascat necesse est aduersarius in octauo errore; vbi enim locorum disputatur à Metaphysico de humana mente? quis concedat Piccolomineo mentem, ac non potius animũ principium esse potioris speciei, nimirum humanæ? at animi consideratio num Physici non est propria? num cadet humana mens sub sapientiæ intellectum, uelut subiecti pars; si intellectus subiectum communia primaque principia duntaxat efficiunt; atque hominum mens neq; generale, neque singulare compositarum substantiarum principium existimatur? Nonum errorem nunc exagitemus; ab eo quod est accidentale non potest sumi differentia eius quod essentiale est; modus considerandi de intima est habitus cuiusque natura (de habitu loquor mentis, & rationis) intelligentiæ separatæ ut tales sunt.

per accidens ad Metaphyſici contemplationem ſpectant Piccolominei vel inuito iudicio; eas enim ipſe intelligentiæ & menti qui habitus eſt non niſi ut principia ſunt; ſubijcere poteſt ſcientiæ vero finibus, illius:quæ ſupremę pars eſt ſapientiæ, ultro etiam ſponteq; excludit; deinde, non Deus modo & cæteræ ſeparatæ mentes, ſed rerum quoque eſſentiæ principia ſunt incomplexa ad intellectū ſpectantia; quas conſtat & ipſis materialis concretionis expertes eſſe, cum definitione explicentur Metaphyſica, quæ materiam admixtam non habet; cur non igitur ab ipſis potius, quæ formalia rerum ſunt principia, quàm à Deo & abiunctis intelligentijs quæ cauſæ ſunt efficientes externæ modus ſumitur cōmunis rerum ſpeculationis? maiorem propoſitionem lubens concedit Franciſcus Piccolomineus in eodem 5. grad. moral. ſuæ Philoſophiæ cap. 18. ratiocinationis conſequutionem ita demonſtramus; modus quiuis conſiderandi a proportione ſumitur, quæ inter intellectum, & rem intelligibilem eſt; at num interna & formalia principia, rerū intelligibilitatis proprietatem non exactius docent, quàm ab ijſdem procul remotæ cauſæ? non me latet eodem ſemper obſtinate aduerſarium clypeo ſe defenſum ire; Deum & intelligentias ſeparatas, Metaphyſicæ contemplationi ſubdi, propriæ naturæ ratione, non agendi denominatione, quam in res alias uelut communia principia exercent; at id reiectum à nobis fuit Ariſtotelis authoritate, cui dubio procul ſtandum neceſſario eſt, cum exquiritur proprium in his libris auctoris inſtitutum; ac ne cauilleris oblique eò à nobis ante adducto loco Ariſtòtelis orationem exponendam eſſe; en tibi alios duos Ariſtotelis locos quos nemo ſanæ mentis homo inficias eat non contorto, ſed

recto

recto sensu interpretandos esse; primus est in primo poster. analit. c. 3. eiusmodi; hæc igitur ita dicimus, & non solum scientiam, sed & principium scientiæ esse quoddã dicimus, quo terminos cognoscimus; qua in oratione principium Piccolomineus ut plerique etiam alij Latini, secus quàm Philoponus ac Themistius sint interpretati, intelligentiam exponit in quinto gradu c. 17. at se suis telis confodit; quid enim est scientiæ initium esse, nosque ducere in cognitionem terminorum, nisi scientiæ principes dignitates, & ea ex quibus illæ conficiuntur per se, & ex officio contemplari? alter est in sexto Ethicorum cap. 11. his verbis exaratus. Intellectus quoque vltimorum est in utramque partem; primorum enim & vltimorum terminorum intellectus est, non ratio; ille quidem qui in demonstrationibus versatur, immobilium terminorũ & primorum, alter, qui in actiuis consistit, ultimi, & eius quod euenire aliter, atque aliter potest, & alterius propositionis; hæ enim eius, cuius causa aliquid est, principia sunt; quippe cum ex singularibus vniuersalia existãt, quorum sanè habere sensum oportet is autem sensus intellectus; est nũ dici quicquã apertius poterat, ut putaremus quæcunque intellectus habitu comprehenduntur; eatenus sub intellectus cognitionem cadere, quatenus principia sunt; quam id quod ab Aristotele dicitur? eam nimirum quoque cognitionem quæ de singulis habetur intellectum uocari, practicæ aut actiuæ facultati comparatam quoniam illius sit principium, & fundamentum quoddam? an non huc etiam refertur, quod scribitur in primo lib. Ethicorum ad Nicomachum cap. 3. atque hinc fit ut iuuenis auditor ciuilis idoneus esse non possit, quippe cum imperitus actionum vitæ sit, ex quibus, & de

V quibus

quibus rationes conficiuntur? num ſingularum rerum notitia per ſe ſpectata, atque ad uniuerſalem artis, aut moralis Philoſophiæ conſiderationem minime relata intellectus nomen meretur? Ergo ne abiunctę & ſeparatæ intelligentiæ, ſi rerum naturalium principia non eſſent, ijſque nihil impertiretur, nihilominus caderent ſub intellectus contemplationem? quæ eſſe ratio poteſt diſſimilitudinis huius & illius intellectus; ut qui circa uniuerſalia uerſatur, principiorum quidem ſit, ſed non per ſe hoc eſt non quatenus principia ſunt; is uero qui rebus ſingulis pernoſcendis intentum hominem facit, niſi cum vniuerſali ſpeculatione coniungatur, quæ aut factiua aut actiua ſit; intellectus appellatione careat, nomenque accipiat longo uſu confirmatæ experientiæ? ita enim Ariſt. primo Met. ca. 1. ſenſuum hic uel maxime nos cognoſcere quicquam facit multaſque differentias manifeſtat: Natura itaque animalia ſenſum habentia fiunt: a ſenſu uero quibuſdam eorum non innaſcitur memoria, quibuſdam vero innaſcitur; & ob hoc alia prudentiæ, alia diſciplinarum capaciora ſunt, quàm illa quæ memorare non poſſunt, prudentia quidem abſque eo quòd diſcāt, quęcunque ſcilicet audire ſonos non poſſunt, ut apes, et ſi quod aliud animalium genus ſimile eſt; diſcunt autem quæcumque unà cum memoria hunc quoque ſenſum habent, cætera igitur imaginationibus ac memorijs viuunt, experientia vero parum participant; humanum autem genus arte etiam ac ratiocinationibus; fit autem ex memoria experientia hominibus, multę enim eiuſdem rei memorię unius experientię vim efficiunt. hęc Ariſt. ex cuius uerbis ita rem propoſitam deduco; ſolus homo mente & intelligentia pręditus eſſe poteſt; experientia brutis

brutis quoque animantibus communis eſt, ijs nimirum quæ aſpectum, auditum & memoriam habent, non igitur experientia eſt intelligentia; at cognitio quæuis rerum ſingularum, niſi vniuerſali ratiocinationi coniungatur experientia dicitur, ut colligitur ex illis Ariſtotelis verbis in eodem loco, ad agendum itaque nil videtur experientia differre ab arte, quinimò videmus expertos magis id, quod intendunt cõſequi, quam illos, qui rationem abſq; experientia tenent; cauſa uero eſt, quòd experientia ſingularium, ars autem vniuerſalium cognitio eſt; hæc Ariſt. res igitur ſingulæ intellectus habitui nunquam ſubijciuntur, niſi cum per artis, aut prudentiæ initium ad generalem rationis contemplationem referuntur. Contra decimum errorem haud multum nobis eſt operis ſumendum; quòd ſæpius improbatum fuerit intelligentias inconcretas vel mentis, uel ſcientiæ ratione ut ſubiecti partes ad ſapientiam primam pertinere; ad vndecimum igitur errorem aduerſarij animo reuellendum properabimus; cenſet doctiſſimus Piccolomineus ens illud quod commune eſt ab uno, vt Ariſt. ſcribit, conſideraturque vt ens eſt; non reciprocari cum ſubſtantia; ac ſubſtantiæ affectiones entia vocari à communiſſimo illo ente & prorſus æquiuoco ſumpta denominatione, quod nihilo velut ex diametro opponitur; at vtrumque diſertæ repugnat expreſſæque Ariſtotelis orationi in principio quarti libri Met. in qua ſtatuitur ens illud cuius vt ens eſt cauſæ & principia quæruntur ſubſtantiam eſſe, ad unum dici, ac non de affectionibus modo proprijs ſed de negationibus quoque prædicari: ita enim Ariſtoteles habet. ens autem multipliciter dicitur, uerum ad unum, vnamque quandã naturam. ac non multò poſt; quædam enim quoniam

 ſubſtan-

ſubſtantiæ entia dicuntur; quædam quoniam paſſiones ſubſtantiæ, quædam quoniam via ad ſubſtantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua ſubſtantiȩ ſiue eorum quæ ad ſubſtantiam dicuntur, aut ad aliquorum ex his negationes, aut ſubſtantias; ac rurſus paucis interiectis; patet itaq; unius eſſe & entia prout entia ſpeculari, ubique autem proprię primi, & ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur ſcientia; quod ſi hoc ſubſtantia eſt oportet profecto vt ſubſtātiarum principia & cauſas Philoſophus habeat; quem quæſo eæ voces ſenſum habent propter quod dicuntur? quem item illæ, quædam quoniam ſubſtantiæ, quædam quoniam priuationes, aut qualitates, aut corruptiones ſubſtantiæ entia dicuntur? num igitur compoſiti entis affectiones, cum entia dicuntur ab ipſo ente compoſito, hoc eſt a ſubſtantia non accipiunt denominationem, ſed ab ente alio æquiuoco penitus & communiſſimo? num unum compoſiti entis affectio, & proprietas non eſt? Ariſt. 4. 3. eiuſdem ſexti libri, quare entis quoq; quot ſpecies ſunt & ſpecies ſpecierū ſpeculari unius ſcientiæ genere eſt; ſi itaque ens & vnum idem, ac vna natura ſunt, propterea quòd ſe inuicem ſequuntur quemadmodum principium & cauſa; idem enim vnus homo, & ens homo, ac homo, & non ſignificat diuerſum aliquid ſecundum dictionem repetitam; ideſt homo, & homo, & unus homo; patet autem quòd non ſeparatur ens nec in generatione, nec in corruptione; ſimiliter & in uno; quare manifeſtum eſt quòd additio in his idem ſignificat, & quòd vnum nihil aliud eſt præter ens &c. quare quot vnius ſpecies, totidem & entis ſunt &c. num vnum ens vocatur ab alio ente ſumpta denominatione, quam ab eo cuius eſt

affectio & proprietas? at respondebit Piccolomineus se distincte de entis principijs loquutum fuisse, non de eius affectionibus; tametsi enim ita dixerat in maiori propositione; demum ex eadem elucidatione constat quomodo enti ut ens est principia & affectiones competant, nã principium & affectio debet modo aliquo ab eo differre, cuius principium & affectio est; in conclusione tamen principia solum non item affectiones entis nominauit; cum ita subiunxit illico; principia itaque entis minime debent esse entia, ne idem sit principium sui, & propterea entis vniuerse sumpti principia esse non possunt, at entis pro dependente & composito sumpti dantur principia, quæ non sunt entia per denominationem à composito, sed principia eius, ac dicuntur solum entia vt ens contradistinguitur à nihilo. esto de principijs entis duntaxat fuerit Piccolomineus opinatus; ea ab ente cõmunissimo accipere denominationem, non ab eo ente cuius principia dicuntur; num id quoque verum non est, & ab Aristotelis doctrina dissidet? quam sententiam prætendunt uoces illæ, aut effectiua, aut generatiua substantiæ? an nõ recte concludat quippiam; si ita ratiocinetur, omnia effectiua, & generatiua substantiæ, entia dicuntur, à composito ente accepta entis appellatione; ergo entis compositi principia ab ente illo entia uocantur, cuius principia existunt? duodecimum errorem ita coarguimus; ens illud lato fusum significato nihil est prẹter nomen, quo appellatur; caret igitur proprijs modis; item concedunt omnes id ens propriam cum nihilo, & priuatam habere oppositionem; at non potest quidpiam sub nihili ratione concipi, & comprehendi; quin aut actu, aut potentia, aut utroque modo nihil iudicetur; ens igitur quoque com-

munissima

muniſſima ſumptum ſignificatione,quod nihilo uelut ex diametro repugnat aut actu,aut potētia: aut potentia & actu ſimul ens ſit oportet;dicebamus uero ens cōpoſitū, hoc eſt ſubſtantiā naturalē hoc modo diuidi,in actum inquā,potentiā,potentiamq; unà & actum;qđ igiť per ſe repugnat nihilo humana mente comprehēſo, ens eſt compoſitum,non aliud latiori præditum communione;quòd ſi nonnunquam eueniat vt uel entis, uel actus,uel potentiæ, uel agentis nomina in ijs vſurpemus, quæ ſupra naturæ fines collocantur; certum ſit, ea non propria ſed tranſlata, & remota admodum accipi ſignificatione, ab ijs,quæ infima ſunt, ad ea quæ ſuperna,& maxime diuina exiſtunt, pro tenui humanæ intelligentiæ captu ducta ſimilitudine, non ut quibuſdam fuit viſum à ſupernis ad inferna facta comparatione;quæ proportio ſimilitudinis ſolo vocis ſono exprimi poteſt,non item certa & definita ratione;aut notione, quoniam non ab vtriſque extremis comparationis hauritur, ſed ab alteris tantum, a quibus non præciſe, & diſtincte; ſed confuſiſſime referuntur altera; ab ijs quæ nota ſunt confecta ab humana mente traductaque ad illa ſimilitudine quæ denſa obſcuritatis caligine offuſa iacent:non igitur proportio eſt à rebus ſumpta; cum naturalium rerum attributa diuinis ſubſtantijs tribuuntur,ſed ab humani ingenij libito & arbitrio:nihiloſecius quam ſi ruſtici cum tonitrua audiunt, quoniam veram nubium diſruptarum rationem ignorant,aut lapidum fragorem ſeſe inuicem collidentium, aut quidpiam aliud ſecum animo cogitarent eius rei cauſam eſſe; quod procul eſſet à uera cauſa; aut uelut ſi imperitum vulgus, quoniam loca marina mentes habent in arctum contractos, in quos illiſi fluctus ſuauem ſonum edunt; qui nauigantes

uigantes oblectat; Sirenas putet in ijs canentes reperiri? quæ ideo cantus suauitate illhac transeuntes perimere dicerentur, quòd illi nimis curiose ad saxa accederēt, seq; æstui totos crederent, ut melius cantum audirent, ibique vnà cum nauibus perirent; vt versus illi indicant Virgiliani.

Iamq; adeò scopulos Sirenum aduecta subibat
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos;
Tum rauca assiduo longe sale saxa sonabant.

Aut etiam illorum exemplo, qui si terræ inclusas cauitates ob contrarios uentorū impetus latè sonantes audirent, sibi ipsi falsam causam confingerent, ac prægrandis alicuius animalis uoce edita terræ visceribus occlusi reboare tellurem crederent; quid enim quæso diuinari homines possunt, de separatarum intelligentiarum statu, quarum non nisi æquiuoca effecta vident? num si præter illustratum & calefactum solis fulgore orbem, nihil amplius de solis natura, figura & motu compertum hominibus esset; illum non eximijs feruoribus calentem crederent, egregieque hallucinarentur? rerum igitur abiectissimarum legibus, quæ naturales sunt, Dei & intelligentiarum naturam metiemur? quid certius cœlorū motu? quis tamen euincat illos qui terram perenni latione rotari existimant, cœlos autem prorsus immotos stare? de rebus, quæ quotidie aspectui subijciuntur, ambigimus ita, vt tanquam in æquilibrio suspensum maneat humane mentis de ijs iudicium; atque à leuissimis signis de rebus penitus homini ignotis certi aliquid iudicare audebimus? quamquam quid dico signis? num enim signa vocabuntur, cum id occultum omnino est, cuius signa dicuntur? atque alia etiam ratione erratum est à Francisco

Picco-

Piccolomineo,cum ens dixit modos quoſdam,& gradus habere,qui nihilominus entia ſint, per quos ad hanc vel illam ſpeciem contrahatur; non ſecus quam genus per differentias reſtringitur;tametſi hoc modis intereſſe differentias arbitratur, quòd genus non prædicatur de differentijs, ens autem prædicetur de ſuis modis; à qua ſententia longe abſumus nos cum de ente compoſito loquimur,quoniam illud non modis vllis reſtringi dicimus ad ſubſtantiam, ad quantitatem, ad relationem, ad qualitatem &c. ſed immediate ea omnia ſignificare, ordine tamen quodam analogiæ,qui quoniam formalis eſt, & internus, impedit omnimodam nominis homonimiam, ac rebus penitus diuerſis internæ ſimilitudinis quandam communionem tribuit,quæ analogica eſt,non ſinonima, partimque eſt una ob formalem ſcilicet accidentium à ſubſtantia dependentiam, tametſi externa eſt, & partim diuerſa; hic uero eſt ſuperioris opinionis ſcopulus,in quē Scotus,Piccolomineus,& reliqui impingunt,qui enti modos & gradus tribuunt: modificare & diſtinguere eſt actus, modificari & diſtingui potentiæ; idem ut idem, non poteſt ſimul actus eſſe & potentia, quæ ſunt primo diuerſa, & eiuſdem membra diuiſionis; non igitur ens poteſt eſſe ſui modi, aut èconuerſo; ſi præciſe ſumantur, neque igitur alterum de alteris in recta propoſitione poterit enumerare: item actus præcedit potentiam in vnoquoque genere, ſi generatim, ac non priuatim ſumantur, ut ab Ariſtot.decernitur in nono lib.Met. entis igitur modi in generali contemplatione ens ipſum præcedunt; & differentiæ genus: non igitur eorum natura entis præciſa ratione comprehenditur,quamobrē neque ens de ijs prædicari poteſt, atque hæc de doctiſſimi Piccolominei

colominei opinione,omninoque de ea quę secundo loco proposita fuit dubitatione, num idem esset sapientiæ & scientiæ habitus, Physicorumque & Metaphysicorum; prima dubitatio erat, quomodo Physica & Metaphysica eundem speciei habitum faciant, cum generis eiusdem, Philosophiæ nimirum speculatiuæ, diuidentes species ab Aristotele statuantur; quam litem sic nos dirimendam putamus;accidentale est habitib.mentis vt ex fine distinguantur, quoniam habitus omnis qualitas est quædam rationi inhærescens, finis autem esse potest extra rationem; at Practicum & Theoriticum non differunt nisi secundum finem ut scribit Arist. in tertio de anima tex.49. non igitur per se & secundum essentiam habitus mentis distinguunt; haud tamen hinc propterea colligat aliquis, practicos habitus non differre natura & ratione hoc est definitione à Theoriticis; quoniam accidit practico habitui,qui per se ad singulares actiones refertur,ut imperfectus sit, nisi pleraque singularia obiectiue contineat,ac tanquam subiecti partes cõtempletur: ac quia singularia præter essentiam sunt, specierum, & generum; vniuersalibusque attributis ea quæ sunt in singulis aduentitia putantur; ex accidenti fit vt quicumque habitus ut practici à speculatiuis secernuntur; ab ijsdem secundum essentiã quoque distinguantur;quod minime euenit in habitibus Theoriticis inter se comparatis; quorum diuersi fines haud arguunt diuersam distinctamque essentiam obiectorum;sed altiorem duntaxat, vel minus altam causarũ & principiorum inuestigationem, ex quibus res obiectæ demonstrantur: quæ causa est ut Physica & Metaphysica diuersos speculatione habitus facere possint, diuersos essentia non possint; atque ex causis & principijs contem-

plantium ſcientiarum finem accipiendum eſſe conſtat ex Ariſtotelis verbis in ſecundo Met. text. 3. & 4. quæ huiuſmodi ſunt. recte autem ſe habet Philoſophiam ſcientiam veritatis cõtemplatricem appellaſſe; ſpeculatiuæ etenim finis veritas; practicæ autem opus; etenim ſi quo modo ſe habent, conſiderant, non cauſam per ſe, ſed ad aliquid & eo in tempore practici ſpeculantur; neſcimus autem verum abſque cauſa; unumquodque uero id ipſum maxime aliorum eſt ſecundum quòd alijs uniuocatio ineſt, utputa ignis calidiſſimum, etenim cæteris hic caliditatis eſt cauſa; quare veriſſimum etiam eſt id, quod poſterioribus ut uera ſint, cauſæ eſt; propter quod principia ſemper exiſtentiũ neceſſe eſt veriſſima eſſe, nec enim aliquando uera; nec illis ut ſint aliquid aliud cauſa eſt, ſed illa cęteris, quare vt ſecundum eſſe vnumquodque ſe habet, ita etiam ſecundum veritatem. hęc eo loco Ariſt. Mathematicæ vero diſciplinæ non ſpeculatione modo, ſed rebus quoque obiectis à Phyſicorum & Metaphyſicorum habitu diſtinguuntur. Tertia dubitatio erat, ut recte diuidi potuerit Philoſophia in ſpeculatiuas; cum dictum ante à nobis fuerit vix vllam homini Dei munere conceſſam doctrinam eſſe, quæ ſit merè ſpeculatiua? cum uero nodum nos facile ſoluimus ſpeculatiuis doctrinis tribuitur ab Ariſtotele vt ſui ipſarum gratia, & liberæ ſint; hoc eſt vt ego interpretor, vt in ſeipſis proprium finem habeant, cum practicæ foras ſemper ferantur, & finem ſemper extra proprios cancellos quærant; ob id viſum nobis eſt cognitionem eam, quæ non fine modo, ſed medijs quoque, & ſeipſa tota mentis ſola contemplatione clauditur, merè & omnino ſpeculatiuam appellare; quam diximus homini penitus negatam eſſe; quòd nunquam valeat illius

animus

animus dum corporis ergastulo tenetur sese ad contemplationem promouere, nisi obiecto intelligibili dum intelligitur simulachrum aliquod, & idolum respondeat in phantasia, & ipsum interno sensui lucescens, actuque affulgens, primi tamen illius generis speculationem haudquaquam negamus.

Quod ex text. 2. septimi libri obijciebatur, quo Deus vnà cum homine in prædicamenti serie collocatur, nihil contra nostram opinionem firmitatis habet, quòd eo loco Dei nomen ad vulgi cõsuetudinem traductum fuerit, sicut & in 12. Met. tex. 50. in quo ita scribitur; tradita autem sunt quædam à maioribus nostris, & admodum antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quòd hi dij sint, vniuersamque naturam diuinum contineat (loquitur autem de intelligentijs cœlestes sphœras mouentibus) cætera uero fabulose ad multitudinis persuasionẽ, & ad legum, ac eius, quod conferat opportunitatem iam allata sunt; hominiformes namque, ac aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia consequentia, & similia his, quæ dicta sunt. &c.

Actum quoque & potentiam ostendebatur ex text. 1. & 17. libri noni in plus esse, quàm quæ secundum motũ dicuntur, referrique non ad res naturales modò, sed etiã ad supernaturales; haud tamen ita est, quoniam cum actus, tum potentia primò & per se in motu spectantur; vt in assertionibus demonstratum fuit; reliquis autem rebus, non nisi per analogiam quandam, & Metaphorice tribuuntur. Deo quidem & abiunctis intelligentijs externe ducta translatione, vt cum Deus purissimus nuxta & simplicissimus actus appellatur ab Aristotele, substãtijs autem secundis interne, & ab essentia petito analogiæ

 modo;

cuius natura talis est, ut esse, & non esse contingat; quare corruptibilia sunt omnia singularia earum. hæc Arist. ex quibus etiam colligitur eundem Philosophum accipere res naturales, quę in Physicis demonstrantur, & definiuntur, materia, mutationeque penitus nudatas: subiungit enim illico § si igitur demonstratio, & definitio scientifica necessariorum est § secus enim si acciperentur, definitionem ex præscripta ab Aristotele lege scientiamque effugerent.

Reliqua quæ aut ex 11. aut 12. libro aduersus nostram sententiã collecta adducebantur, nullius fermè momenti sunt: & ex ijs quæ exposita hactenus fuere, leuissimo negotio soluuntur.

Quod ad eam attinet quæstionem cap. primo libri 11. propositam num hæc Metaphysicorum doctrina de causis agat naturalibus, cum motum includant: ac quæ motum includũt, minime separata sint: de quibus facultatis huius proprium est ex professo disputare: contrarium ex ea erat colligendum, causas inquam naturales per se separatas esse, tametsi cum motu accipiuntur: nam scientia quæ de causis agit, de natura etiam & de motu edisserit, quoniam causæ motum includunt, eo modo acceptæ, quo ab Aristotele exponuntur in primo & 2. libro Met. ut cuiuis perspicuum est: Metaphysica de causis non agit, nisi quatenus separatæ sunt, causæ igitur ut motum includunt separatæ, & incorruptibiles esse possunt, causas autem, ut motum includunt separatas esse ita intelligi debet, ut motum & mutationem connotent, propter singulares causas pro quibus supponunt, naturæ uero propriæ ratione, vniuersalis & generalis, quam significant, separatæ à motu iudicentur: quod egregie Scoto q. 1. in

primum

primũ lib. Met. & Antonio Andreæ ſuboluit: aiunt enim, quatuor cauſarum genera, in quantum quęlibet dat eſſe, circumſcribendo rationem motus & mutationis pertinere ad Metaphyſicum, ut uerbi gratia tametſi efficiens non agat, niſi per motum, tamen rationem dantis eſſe, præcedere rationem mouentis: & item quamquam non poſſint res naturales finem proprium attingere, niſi motæ, ordinem tamen ſecundum eſſe præcedere, ordinem, qui eſt ſecundum operationem: obijciunt aliqui Auerrois ſectatoris qui primam formam dũtaxat & ultimum finem Metaphyſicæ contemplationi ſubeſſe exiſtimauit, contra diſertam Ariſtotelis ſententiam in pleriſque Metaphyſicorum locis, in quibus æque ſemper de omni genere cauſarum ſuſcepta diſputatio eſt, materiam nullo modo dare eſſe rei: quia totum ſit à forma, nolo ego quicquã impræſentia ſtatuere de eſſe, à quo, & quatenus naſcatur, quod ad rem propoſitam facit, Metaphyſicum dico de omnibus cauſis diſceptare, quatenus entis ante motum principia ſunt ſecundum proprium cuiuſque cauſæ modum. materiamque non formaliter, & interne, ſed materialiter & externe entis cauſam eſſe, hoc eſt ſubiectiue, quis autem error eſt dicere, ens recipi in materia? ſecus autem ens, quàm motus aut mutatio in materia ſuſcipitur: hæc enim quoniam actum declarat externæ potentiæ implicatum, interne & ſecundum eſſentiam pendet à materia, ens autem minime, quoniam haud in materia eſt, ſicut accidentia in ſubiecto, ſed alio quodam modo; nihil enim ens à materia præterea habet, quàm ut eius beneficio affici uario accidentium incurſu poſſit, cum accidentia non ſubſiſtentiam, ſed exiſtentiam ſubiecto acceptam referant: alia quoque eſt ipſorum diſcrimi-

nis

nis ratio; nam mutatio materiā requirit anticipato quodam naturæ ordine iam factam singularem; ac propterea separabilem ut separabilis est; ens autem simplicem & absolutam materiei notionem respicit, motum & mutationem omnem antecedentem, formarumque separabilium uicissitudini præuiam, quo modo acceptam materiam certum est neque separabilitatis, neque inseparabilitatis terminum, aut fundamentum esse posse, ut enim separentur illa, aut inseparabilia uocarentur, quæ nullam efficiunt coniunctionem? quis esse & materiam unà unquam coniungi Philosophorum dixit? quid fieri ex ijs etenim posset, quod cum ente prorsus non conuerteretur?

Textus 29. libri duodecimi, sibi ipse ueritatis lucem & splendorem affert. sic enim habet; cum uero tres sint substantiæ, duæ quidem naturales, alia autem immobilis; de hac est dicendum, quòd necesse est perpetuam aliquā, & immobilem substantiam esse; etenim substantiæ primę entium sunt, & si cunctæ corruptibiles, omnia corruptibilia sunt; at impossibile est aut generari motum, aut corrumpi, nam semper erat, neque tempus: cum non sit possibile prius & posterius esse, tempore non existente: his inquam uerbis ab Aristotele manifeste innuitur, se non alia de causa de prima immobili substātia agere, nisi ut ortui, & interitui obnoxiarum rerum fluxum & inconstantiā stabiliat; neque uero mirum debet uideri cuiquā, Aristotelem ut esse & motum rerum Physicarum explicaret de Dei, intelligentiarumque natura, & intelligendi modo disputationem suscepisse, quoniam per intellectū inconcretæ mentes mouent: quoniam uero nullum Deo accidens inest, Deique intelligere, & uelle, ipsamet est

diuina

diuina essentia, nihil exquisite diuinæ proprietatis in agēdo exponi poterat, in intelligendoque, & efficiēdo, quin tota Dei Natura pingui, crassaque minerua eadem opera edoceretur: ut uel ob id mirari desinant illi qui Theologiæ nomine hanc Metaphysicorum facultatem nonnunquam insignitam uident, tametsi haud per se, & ex instituto de Deo agat, uelut de subiecti parte.

Reliquum est vt primi libri de partibus animalium locus in apertam veritatem euoluatur, opinioni nostræ nulla facta iniuria; in quo illud cum primis est considerandū Aristotelem alieno magis, quàm proprio sensu de mente loquutum fuisse, quod ei in more & consuetudine esse, quum non de industria, sed obiter & perfunctorie de re aliqua philosophatur, nemo est solidæ & maturæ lectionis Peripateticus, qui ignoret: Aristotelem inquam controuersas magis & ambiguas de rebus arduis quęstiones excitare solitum studiosorum animis non tàm ex ea, quā ab ipsius fontibus doctrinam hauserint, quàm ex recepta vulgo antiquioris Philosophi secta, vt ingenui viri modestiam, & pudorem decet: de mente plurima Plato, cuius doctrina Aristotelis tempore præ cæteris efflorescebat; quæ igitur de mente eo capite dicuntur; ex Platonis doctrina sunt explicanda: Mens Aristoteli plerumque significat potentiam illam, qua homo intelligere potest; quæ duplex est actiua & passiua, vtraque distinctam naturam habens ab intellectione; vt constat ex tertio lib. de anima; quam potentiam non mentem, sed rationem Plato solet appellare ut constat ex quarto de republ. & ex nono de legibus; ubi hominis animam in rationem, iram & cupiditatem diuisit; atque ex Timeo cum rationem in capite, iram in corde, concupiscentiam in hepate collocauit;

cauit;

cauit; eique multiplex functionum genus tribuit, nimirū opinandi; cum se ad umbras & simulachra rerum conuertit; sciendi; cùm intelligibilia secūda persequitur discursu quodam, quæ sunt naturales formę cum materia coniunctæ, in quibus ipsius primi intelligibilis vis quædam est adumbrata; ac denique intelligendi, cum simplici quadā & sine discursu comprehensione ideas rerum, & quæ uerè intelligibilia sunt, intuetur, seu corpore contineatur, seu à corpore abiuncta maneat; hæc omnia colliguntur ex quinto libro de rep. & ex Theeteto; ac tertiam quidē hanc rationis functionem, mentem quoque solet nominare; vt nihil aliud Platoni sit mēs, quàm pura, & simplex & scientia, & opinione carens intellectio; quæ rarò homini accidat; dum corpori admixtum animum habet; quod deducitur ex Timeo, in quo scribitur Deos quidem omnes mentis participes esse; homines autem paucos; & ex Philebo, vbi consentiunt, inquit, omnes sapientes seipsos in eo iactantes, quòd mens in nobis sit Regina cœli & terræ, in eoque fortè rectè loquuntur. quibus haud dissimilia sunt, quæ ab Hermite Trismegisto scribuntur in Pimandro; non homines singulos mentem possidere, neque omnes, Deos effici, mentis communione; quæ mentis humanæ pręstantia, & dignitas inde nascitur, quòd homo per ideas ut scribit Proclus in libro de anima & Dæmone mente comprehensas, tandem cōiungatur, primo intelligibili, quod idem est cum primo intellectu vt docet Plot. c. 6. libri de tribus principijs, qui primus intellectus, seu prima mēs mundi effectrix est, omnium rerum causa existit, omnemque naturam continet, atque exornat, ut legitur in Phœdone, & in Cratylo; cumque sententia sit Platonis ingenitas humanam mētem ideas tenere, undę

illud nostrum scire, aliud non esse, quam reminisci, intelligibiliaque non esse extra intellectum, ut Plotinus dicit; argumentisque demonstrat, necessario sit consequutum esse; ut nequeat Philosophus ullius mentis naturam declarare, quin etiam rerum omnium essentias, & notiones teneat, praesentesque demonstret intuendas eo modo, quo sensilia sensibus praesentia fiunt, atque id ijs verbis significatur, si de omni anima naturalis scientiae interest docere, nulla praeter Philosophia naturalem relinquetur scientia; intellectus enim, siue mens rerum intelligibiliũ est, itaque rerum omnium notiones naturalis una tenebit, est enim eiusdem scientiae, ut eam de intellectu, quàm de intelligibili doceat; si quidem eadem contemplatio omnium est inter se coniunctorum, sicut sensus etiam, & rei sensibilis; cui incommodo haud subiacet Aristoteles, quoniam hominis intellectum non nisi per abstractionẽ à sensilibus, rerum essentias nosse, & contemplari arbitratur, quae abstractio, seu intelligendi modus, ut varios gradus, & species habet; ita etiam efficit, ut variae scientię sint, quibus intelligibilium natura explicatur, sumuntur autem abstractionis & intelligendi modi ab intelligibilibus ipsis praesertim; quoniam ut ea continuata hoc est essentiali generi alia ex alijs inuicem nectuntur; ita facili & praecipite analysi dissoluuntur, ac mutuo ex se velut sponte & ultro deducuntur; non igitur, si mens Aristotelis more intelligatur, vim ullam habet illud argumentũ; Philosophus naturalis ex professo disputat de humano intellectu; eidem ergo de omnibus intelligibilibus quoq; est disputandum quemadmodum qui de sensu edisserit, de omnibus etiam sensilibus simul disputationem habet; quoniam non est idem intellectum ipsum, & intelligibilia

omnia considerandi modus; vt idem modus est contemplandi sensum, & ea quæ sub sensum cadunt; atque ut similis est apud Platonem omnium rerũ essentias modus per simplicem intuitum intelligendi: ac lubet enucleatius quoque ab eo difficultatis nodo Aristotelis de intellectu sententiam vindicare; ea scientia quæ de sensibus est, cõmunes duntaxat sensilium differentias persequitur; cunctaque non sumit sigillatim sensilia omnia, quę innumera sunt, contemplandi: quoniam singularia scientiarum contemplatione prohibentur; ut cuiuis notum est; sensiliaque sigillatim accepta non vt sensilia modo, sed etiam vt res uniuersitatis ordine comprehensæ, singularia censentur: ita in scientia de animo, & mente disputatur ab Aristotele de communibus intelligibilium differentijs vt exploratum est ei, qui tertium de anima librũ sedulo, & diligenter legerit; atque eæ vt vniuersim exponuntur, vnico abstractionis & contemplationis modo considerantur, non diuerso; quoniam ad rem eandem subiectam referuntur hoc est ad intellectum eodẽ modo, quatenus scilicet illius ex æquo sunt proprietates & affectiones; at sicut non ijsdem vestigijs in campo subiectorum ipsis intelligibilium expatiantur; quæ singularia sunt; ita non eadem de omnibus intelligibilibus scientia statui potest ad origines diuersas comparatis, capiteque non uno cõclusis; quemadmodũ modus proprius, quo singula amara gustum afficiunt, ad amari saporis priuatam proprietatem refertur, non ad eam, quæ saporibus omnibus cõmunis videtur; tam etsi de singulis amaris scientia fieri non potest, vt de singulis intelligibilibus cõmuni aliquo intelligendi modo comprehensis; quoniam hæc, ut pote vniuersalia, & communes rerum naturæ; singularitatis

ſalibus nō itē, quia falſum eſt in his non inueniri id cuius gratia; hoc eſt finem; cum uerißima ſit ea propoſitio, qua dicitur omne agens agere propter finem, nemoque hactenus dixerit de Philoſophia bene meritus in ſolo Phyſico, & materiali motu finem reperiri, & id cuius gratia: quod oſtendunt poſtremæ illæ Ariſtotelis uoces § ita in rebus ipſis, aliquod eſſe principium aliud, & talis cauſa uidetur, quam ex uniuerſo perinde ut caloris frigorisque primordia habemus § num his uerbis non clare innuitur vniuerſalem aliquem extare rerum omnium finem, ad quem cuncta ut ad communem cauſam referri debeant: ob idque inane eſſe, quicquid in rerum exiſtit uniuerſitate, quod cum eo generali fine coniunctum non eſt, ſed priuatim, à cæteris & ſegregatum manet?

Supereſt modo vt ordo explicetur, quem his libris Ariſtoteles ſequutus eſt: Metaphyſicorum ſubiectum eſt ens naturale, cuius principia externa, hoc eſt cauſæ exponuntur in primo & ſecundo lib. in tertio libro enumeratio fit per dubitationes eorum quæ de ente iam conſtituto quæri poſſunt, in quarto libro explicari incipiunt, ante præpoſitæ dubitationes, ac primum quatenus ens huiuſmodi ſit unum, quatenus multiplex, & quatenus vniuerſale. in quinto libro diſtinguuntur vocum ſignificata, quibus entis affectiones continentur, ac de quibus deinceps ſuſcipienda tractatio fuerit; hactenus uero entis principijs in quinque primis libris declaratis, cauſis inquam, quid nomine entis; & quid nomine illorum, quæ de ente demonſtranda ſunt, recto & continuato ordine docetur in ſexto libro qualis hæc ſcientia ſit, ex eo ſubiecto conſtituta, cum huiuſmodi principijs, & proprietatibus. Septimus liber exordium eſt ſcientiæ totius ſigillatim,

latim,& per omnes partes explicandæ; in eoque & octauo libro luculente diſſeritur de ſubſtantia comparatione decem prædicamentorum,de partibus ſubſtantiæ hoc eſt de materia & forma, de ſecundis ſubſtantijs , & de definitione,quæ quod in ijs inuolutum eſt, tanquam euoluit, diſtinctéque exponit. in nono libro comparatio fit ſubſtantiarum in compoſito naturali, id enim eſt orationem habere de actu , & potentia. in decimo libro diſputatio ſuſcipitur de entis proprietatibus,quæ ſunt unum,multa, idem , diuerſa,& oppoſita,atque hæ quidem affectiones ſubſtantias cōſequuntur diſiunctim acceptas, & inuicem comparatas: diſiunctim inquam , quoniam dum in compoſito ſpectantur,illico actus ſunt, uel potentia.in 11. libro, quoniam ſermo habitus fuerat in antecedentibus de ente per ſe,nimirum de ſubſtantia,oratio primum ſuſcipitur de ente per accidēs, ac deinde de proprietatibus entis Phyſici,hoc eſt de ſubſtantia externe, & ad accidentia relata: quæ ſunt infinitum,motus,locus,tp̄s,continuū contiguum,& cætera id genus.in duodecimo lib.de connexione agitur,quam entia Phyſica habent cum ſubſtantijs ſuperioribus tum quatenus entia ſunt, tū quatenus motum habent: in 13.& 14.libris expugnantur illa, quæ de ente Phyſico falsò commenti fuerant antiqui; quam concertationem ſuo more Ariſt.initio inchoauerat, ſed eam præſertim fit,quòd nimis prolixa uideretur, ne ſcientiæ ordinem interturbaret. Hanc vero Methodum,qua Metaphyſicorum libri exponuntur, conſtat compoſitionis eſſe, non reſolutionis: cum ab ijs quæ natura priora ſunt, ſenſim ducatur in illa , quæ naturæ ordine ſunt poſteriora.

FINIS.